ANTONII DESLIONS
E SOCIETATE IESV.
DE CVLTV B. V. MARIÆ,
ELEGIARVM
LIBRI TRES

IN LUCEM DENVO
Pragæ primùm nunc Lublini
REPRODVCTI.
Accessere XII. Elegiæ
R. P. SIDRONII HOSCHII Soc. IESV
de CHRISTO patiente,

Typis Collegij Societatis IESV.
Anno Domini 1699.

NOBILISSIMIS AMPLISSIMIS, ORNATISSIMIS, SODALIBVS B. V. MARIÆ IN VTRAQVE PROVINCIA SOCIETATIS IESU IN BELGIO.

Viderat inscripti titulum mea Diva libelli:
Vive, ait, ardorũ care Poëta mei!
Edidicêre meos certé tua carmina sensus;
Quamq́; docent, meus hac arte paratur amor.
Sæpe ego, dum nostros ignes cantare parabas:
Suggessi numeros, aptaque verba dedi.
Sint licet exiguæ, vivent, mea cura Camœnæ;
In tua nec durus carmina livor erit.
Te toga, têque sagum dextrâ versabit amicâ:
Noster erit tanti causa favoris amor.

Vise meos, quos Scaldis habet, Scarpúsque, clientes,
Et quos Lisa suis, & Mosa lambit aquis.
Novi ego, quis Belgis animus, quis concitet ardor:
Ardor ab iniecto fomite maior erit.
His tu, ne dubita, gratos inscribe labores:
Iniiciant avidas in tua scripta manus.
Desierat, Bona sors, dixi, gratúmque libellis
Imperium! ô Musæ fata beata meæ!
Iam mihi cœlestes videor diffundere flammas
Vndique, quam latè Belgica terra patet.
Belgica terra parùm est, spargent se latiùs ignes.
Totque videbuntur, quot mea Diva locis.
Iste MARIA, tuos scribi volet inter alumnos:
Colliget hic vernas in tua serta rosas.
Ille verecundi fines transire pudoris
Abnuet, exempli vis erit ista tui.
Atque aliquis nostræ captus dulcedine musæ;
Quis mihi, quis, dicet, Pectore gliscit amor?
Ite Elegi, iactate faces; quique hauserit illas
Carmine iactatas sentiat esse meo.
Quare age, quem Virgo primo sub flore iuventæ,
Castra Sodalitij iussit inire sui:
Da mihi te placidū, nec nominis immemor hujus;
Inq; meas artes, & tua sacra veni.
Et modo præbe oculos, præbe modò versibus aures;
Et modò judicio singula pende tuo.

Illic

Illic invenies magna præconia Matris:
Invenies cultûs edita signa tui.
Obsequii modos, & nomina mille videbis:
Atque aliquid, pietas quo tua crescat, erit.
Quósque cano, festis Dominæ capiêre diebus,
Credibile est ipsam sic quoque posse capi?
Præmia nec deerunt: pretiis invitat Amantes:
Illa suos frustrà non sinet esse probos.
Sit tibi, quem semper studiis animóque requiris;
Virginis aspiret non abiturus amor.
Sic tibi fœcundos meritis crescentibus annos
Augeat, & flammæ semina casta tuæ.
Non mea sunt tanti, semel ut præcepta legantur:
Sed tamen his pretium non leve, Virgo facis.
Quisquis ad ista parat faciles advertere vultus,
Tutelam, quæso, sentiat ille tuam.
Et puto factura es! vel si non ipse rogarem:
Accedet numeris gratia tanta meis.
Non ego laudari cupio: laudarit abunde
Si te, Diva, meo carmine doctus, amet.

Nobilissimis Dominationibus
Vestris.

Addictissimus
Antonius Deslions Soc: JESU.

AN-

ANTONII DESLIONS
è SOCIETATE IESu,
DE CVLTV
B. V. MARIÆ
ELEGIARVM
LIBER I.
ELEGIA I.
Sibi, & Lectori. B. V. MARIÆ præsidium postulat.

Diva tuas laudès, & amandi dicere leges
   Incipimus: cæptis sis, precor, æqua meis
Et pariter vati, pariter lectoribus adsis:
   Utraque præsidio est causa fovenda tuo.
Nec sine te quidquam poterunt audere Camenæ:
   Nec sine te quidquam pagina lecta dabit.
Sic neque fax urit, nec quemquam sauciat arcus,
   Si sine nervo arcus, & sine luce faces.
Nec lyra dat blandos, nec raucos buccina cantus;
   Est animanda suis ista, vel illa modis.
Cùm bene depresso gemuit sub vomere taurus;
   Si sitiunt, arent arva, labòrque perit.
Arte ratem remòque regat: si deficit Auster,
   Tiphys in ignava brachia lassat aqua.
At tibi sunt flammæ: flammis ardebimus istis,
   Ut solet injectâ spica Cilissa face.
Tenderùrque mihi per te non debilis arcus:
   Virgineæque reges spicula nostra manu.

Et

Et modò quodcūq; hoc vocisq; lyraq; sonabit,
A te, quæ caneris, spiritus omnis erit.
Nec patiêre siti steriles arescere avenas:
Utilibus segetes ipsa rigabis aquis.
Et placidis Zephyris, quò tu me cumque vocabis,
Ingenij curret cymba soluta mei.
Gratia, Diva, tibi, per quam felicibus orsis,
Dedicat obsequijs se mea Musa tuis.

ELEGIA II.

Pueritia B. V. MARIÆ dicanda.

PRima MARIA tui florem sibi vindicet ævi:
Gratius est illo tempore munus, amor.
Dum primum tenero lascivit bucula cornu;
Hostia votivis tunc cadit apta focis.
Et dum vere novo primos rosa pandit honores;
Blandiùs aspirans aëra mulcet odor.
Agricolæ votis meliùs responderit arbos;
Si ferat ante suam mitia poma diem.
Ingenium quis nescit apis, quæ divite partu
Fundit Aristæo dulcia mella suo,
Príma sub egelidos Maij confecta tepores
Munera, nescio quid nectaris instar habent,
Altera quæ veniunt Autumni frigore primo;
Degenerant vernis inferiora favis.
Sic placet in puero, sic est gratissima virtus;
Dum meritis annos prævenit illa suos.
His, ego quæ moneo, quondam prælusit Aquinas
Virginis eximio captus amore puer.
Angelicum quæ signat Ave, dum fortè papyrum
Ungue tenet, matrem surripuisse ferunt.
It puer in lacrymas (damnum sensisse putares:)
Perstat, & in lacrymis pars bona vocis inest.

Parce crepundiolis mater placare puellum:
Quæ sistat gemitus, sola papyrus erit.
Quid si virgineas, dicas prostratus ad aras.
Te stabili, Virgo, virginitate colam?
Gratulor Edmundo, cui, dum cœpisset amare,
Felix est voti copia facta sui.
Arsit, & immodico correptus amore, MARIAM
Ambijt, & sponsæ cœpit habere loco.
Accipe me, dixit, nostros testatus amores
Annulus articulos vinciat iste tuos.
Atque utinam æternos ut circulus indicat annos,
Sic meus æternâ lege perennet amor!
Et puer incaluit visâ Gonzaga MARIA,
Si modò sit, qui sic novit amare, puer.
Ite voluptates, mollésque Cupidinis arcus:
Nil mihi vobiscum est hæc mea, dixit, erit.
Servavitque fidem, sed & hæc servavit amorem;
Non aliam ardenti passa nocere facem.
Quare age, dum primus vernat tibi sanguis & ætas,
Sint tua, virginitas; sint tua vota, pudor.
Nec divæ melius quàm virginitate placebis.
Hac cepit Superos, hac cupit arte capi.

ELEGIA III.

Texitur corona B. V. MARIÆ lectione Rosarij.

Siste; precor, tot sacra tuæ mysteria menti;
Quot specie flores versicolore leges.
Sive rosas niveo similes candore ligustris;
Seu Tyrio mavis murice purpureas;
Dum tibi jucundæ propones gaudia Matris;
Gaudia candidulas noveris esse rosas

Dum

Dum pia solicitæ recoles lamenta Parenti;
Ilia rubris veniant assimilanda rosis.
Incipe, namque meti gestit lætissima florum
Purpura, lacteolis associanda rosis.
Fortunata manus, casto quæ pollice flores,
Sertàque virgineis crinibus apta paras!
Adveniet Regina pios visura labores:
Adveniet serti capta decore tui.
Novimus, ingenuum quo sit dignata clientem
Munere, qui crebrum ferre solebat Ave.
Quotquot Ave facili solitus proferre labello,
Ore rosas totidem fundere visus erat.
Floribus ex illis Virgo fecisse coronam
Fertur, & augustis imposuisse comis.
Nec modò sunt Dominæ jucunda Rosaria; verùm,
Mille spei causas, mille salutis habent.
Vir fuit, & quicumque volet cognoscere, cultor
Virginis, at magnas inter, avarus, opes.
Iussus ad offensi quondam se Iudicis urnam
Sistere, conspecto palluit ipse foro.
Heu quid agat? meritis lanx tenuit inanis in auras:
Subsidit culpis altera pressa suis.
Auxilium! auxilium, clamat; ne Diva morare:
Tam citò vix dixit, quam citò sensit opem.
Ecce levi imposuit sua Virgo Rosaria lanci,
Et misero in dubiâ morte patrona fuit.
Sic iuvat, & tanti est gratæ promissa Parenti
Non intermisso plectere serta die!

ELEGIA IV.

Ineunda à pueroSodalitasB. V. MARIÆ.

CAstra Sodalitij primùm subeunda docebo:
Et bene; nam Dominæ sunt ea castra meæ.

Hic pia relligio fixit tentoria: fixit
Candida ſimplicitas, & ſine labe pudor.
Hic nemus, & varijs diſtincta coloribus Hybla
E quibus ingenuæ, mella paratis, apes.
Hic Mariana ſuas clementia ponit olivas.
Hic ſua virgineus lilia ponit amor.
Hic eſt Parthenici ſedes, & tota Senatûs
Curia, quam complet numine Diva ſuo.
Quiſque litat ſacros, pretioſa Roſaria, flores;
Poſcit, & omnis habet talia penſa dies.
Quiſque laboranti ſolatia blanda ſodali,
Quiſque pijs gratam manibus addit opem.
Quiſque quot hebdomadis Myſtæ deponit ad aures
Crimina, nec legis claudicat iſte tenor.
Utque animô valeat, ſe corpore paſcit JESU,
Menſtrua cùm ſolitum luna peregit iter.
Cætera prætereo: nam pandit cætera codex,
Quem, puto, Virgineæ compoſuêre manus.
Jnvenies illic ſpeculum, quod proſit Amanti:
Jllud erit Dominæ vita legenda tuæ.
Ater an albus homo es, meliùs quo cernere poſſis,
Judicium ſpeculi, nil ſimulantis, adi.
Proderit ipſe labor. Formæ ſtudioſa colendæ
Femina dùm ſeſe comparat, annus abit.
Hæret, & oppoſito ſpeculatur in æquore vultum:
Si tegis incautas, væ tibi menda, genas.
Sedula deprênſos caſtigat ſpongia nævos,
Et totam faciem cenſor ocellus obit.
Unicus è cunctis peccet ſi fortè capillus;
Figit eum ſumptâ non patienter acu.
Tantæ molis opus nitido procedere vultu,
Suggeſtûmque ſuæ diſpoſuiſſe comæ!
Ut mentem exornes, quid non mediteris, oportet;
Exſpolia corpus mente, cadaver erit.

Hic

Hic ego te sic opto rudes effingere mores,
Dùm similis Dominæ conspiciare tuæ.
Sic oculos, sic Diva manus, sic ora ferebat?
Sic oculos posthac, ora, manùsque feres.
Quiddam virgineis cœleste micabat ocellis:
Hic atque ille sacri præco pudoris erat
Et tua virgineum fac spirent lumina amorem,
Sintque pudicitiæ signa gemella tuæ.
Nullos Diva sales, nec inania verba profudit,
Tu neque verba levi profer inepta joco.
Diva libris Vatum penitùs defixa vacabat,
Plena quibus cœli nectare musa fuit;
Sic te detineat Vatum laudanda piorum
Pagina, divinus quam peraravit amor.
Et fuge molliculo ridentes carmine musas.
Et fuge blanditijs scripta jocosa suis,
Cur præceps in aperta tuis discrimina? mors est
Hic auceps; versus, retia; lector avis.
Diva puellares fucos, crinésque paratos
Oderat, unde tibi tela Cupido facis.
Ite aliò, dices, speciosa pericula, vultus:
Ite, pudicitiæ pessima damna, comæ.
Fronte vel ore meo forsan spectantibus obsim!
Ah! potiùs pereat frontis & oris honor
Nolim ego sic lædi, vel lædere formaque mentem
Si potes informem reddere, forma vale.
Et tua cæsaries (utinam sim vanus haruspex!)
Fors spolium quercûs, fors cibus ignis erit.
Davidides cur glandiferis suspensus adhæsit
Frondibus? in promptu est causa, comatus erat.
Sunt apud infernos etiam, qui vindice vellunt
Pollice compositas in statione comas
Vera equidem monui: quisquis mea verba sequetur,
Fiet ab, aspecta Virgine virgineus.

E L E.

ELEGIA V.

Quibus officijs totius diei decursu B. V. MARIA demerenda.

NEc, si parva putas, quæ do præcepta, relinque;
Maxima de parvis flumina cernis aquis.
Quid minus est grano? granum producit aristas:
Et glans parva, suo tempore, quercus erit.
Fortis erat Samson, & quod mirere, capillis
Insita vis ipsis, &, vigor omnis erat.
Nulla dies abeat, quin officiosus amore
Aliger inscribat præmia digna tuo.
Quin tibi Sol etiam Divam bona verba precantem
Conspiciat surgens, conspiciatque cadens.
Hæc prior officij sit linea ducta. Secundam
Duc mecum radio nobiliore notam
Ergo reducit ubi primos aurora labores,
Et revocat famulas ad stata pensa manus:
Cùm sua jam Reges, jam publica cura patronos
Urit, & ignavi pectoris esse vetat:
Excole virgineum, tua munia, gnavus. amorem:
Mille tibi causæ, cur opereris, erunt.
Seu quod inis, seu claudis opus, committe MARIÆ,
Non erit officij gratia vana tui.
Nec te prætereat tacitis progressibus hora;
Proposito veniet quælibet apta tuo.
Si tamen immineant non pauca negotia, quæ te,
Fide cliens, parcum temporis esse velint:
Exiguo sermone jube salvare MARIAM:
Invenies verbis pondus inesse meis.
Progredior. Medium sol attigit igneus orbem?
Ardores solis, fac, tuus æquet amor.
Sive satum illæsâ recolas de Virgine numen;
Sive tuæ memores grande salutis opus Va-

Vesper adest? nec erit cum vespere finis amori:
Hesperus ille tui vesper amoris erit.
Bernardinus iter, si vis, designat eunti.
Carpere quis tali principe nolit iter?
Porta fuit Senis Camullia nomine, dives
Virginis effigie; cætera pauper erat.
Sedulus hanc casti ritu rivalis adibat,
Sol ut in Hesperio merserat amne caput.
Quò te, Bernardine, pedes? matertera quærit,
Somniferos quoties luna reducit equos?
More proci, ni fallor, amas. Non falleris, inquit;
Sum novus Endymion, me nova Luna rapit.
Una puella suis pridem me cepit ocellis:
Et, fateor, vinctum me tenet unus amor.
Horruit ad tales matertera pallida voces,
Inque metus causas ingeniosa fuit.
Improbe cede metus, sibi Bernardinus amicam.
Ingenuæ matrem virginitatis habet
Multa tibi poterit Camullia dicere porta:
Virgineus poterit dicere plura pudor.
Qui toties oculos in imagine fixit amator,
Hic cor fixurus, si licuisset, erat.
Sic quoque tu, sis castus, ama: sic vespere sero,
Obsequijs Dominam demereare tuam.

ELEGIA VI.

Colendum B. V. MARIÆ nomen.

OBsequio se prodit amor. Testatur amorem
Quilibet obsequij munere, quisquis amat:
Nomen ut ille sacræ perceperit aure MARIÆ;
Exhibeat, meritus quod sibi poscit honos.
Hungare testis ades, nomen proferre MARIÆ
Quum vetuit quondam religiosus amor.

Scili-

Scilicet hanc patriâ Dominam pietate vocabas:
(Hæc pietas Stephano ſceptra tenente, fuit:)
Déque genu, Dominæ ſi quis meminiſſet, honorem
Reddere ſervitij pars erat una tui.
Talis & Hermannus: quoties de nomine Divæ
Sermo fuit, toties oſcula fixit humo
Et ſtetit obſequio pretium. Nam ſuavia terræ
Submiſſis nunquam præbuit ille genis;
Quin ſubitò halaret tactæ telluris ab imo,
Miſſus ut è variâ meſſe Sabæus odor.
Si lubet, & fas eſt, numero referatur in illo
Joſcius, Arthefiæ lùxque decùſque meæ.
Neſcit amor non eſſe ſua fœcundus in arte:
Jngenij ſpargit ſemina ſponte ſui.
Carmina quæ poſſunt nomen conflare MARIÆ,
Seligit è modulis, Rex Solymæe, tuis
Certa fides vati: non fingunt omnia vates,
Et mihi Bertino fingere teſte nefas.
Divus ut aſſiduo traduxit tempora cantu;
Emoritur, poſthac non moriturus olor.
Auribus è geminis, geminóque è lumine: quis non
Obſtupeat: totidem promicuêre roſæ,
Quinta ſed exſanguiſ quæ pulchrior ore virebat;
Prodigij Arthefijs omnibus inſtar erat.
Quam pretioſa tuos ornabit laurea crines;
Verna tuum, Joſci, ſi roſa corpus obit!
Sunt, quibus eximios ardor novus afflat amores,
Abdita quando ſub hoc nomine ſenſa notant.
Sive vocent Dominam, Dominæ gratantur honori,
Seruitiùmque illis dulce vocatur onus.
Sive vocent Stellam, Stella rapiuntur ab illa,
Dirigit in portus quæ vaga vela ſuos.
Sunt, quibus extremis errat dum vita labellis,
Hôc fuit auditô nomine dulce mori.

Plura

Plura docebit amor. Festam tamen incipe lucem
Ducere, quâ primùm dicta MARIA fuit.

ELEGIA VII.

Colenda B. V. MARIÆ Imago.

ET similem visâ præstabis imagine cultum:
Si nescis, Dominam signat imago tuam.
Forma potens illi summum dat in omnia regnum,
Inque animas quiddam Numinis instar habet.
Exemplo Ismerie est Phari stirps inclyta regis;
Quæ primùm aspectâ Virgine capta fuit.
Scilicet audierat cœlo fulgere MARIAM;
Cui decor, & formæ gratia mira foret.
Hanc sibi captivos optat effingere Francos;
De quâ non modicè quisque locutus erat.
Magna petis, subdunt: sed enim si tanta videndæ
Cura tibi Divæ, tanta cupido subit;
Illius effigiem tenui tentabimus arte:
Nam tuus in miseros, plura meretur, amor.
Talia pollicitos angit cura unica fratres
Tela manu doctos, cœla movere rudes.
Matris ubi cœlestis agi rem denique cernunt,
Suppliciter cœlo quisque tulére manus.
Nox erat in cursu. Sopor insperate precantes
Opprimis; & tenebris lumina fessa tegis.
Interea vigili speratum munus olympo
Labitur, artifici sculpta tabella manu.
Fallor? an æthereo carcer splendore coruscat,
Et sonat æthereo carmine læta domus?
Desine somne tuo captos urgere veterno:
Confectum videant, quod meditantur, opus.
Evigilant, visòque pavent fulgore: MARIÆ
Cernimus effigiem, vox tribus una fuit.

Nec

Nec satis aspectâ satiant sua lumina Divâ;
Quò plùs aspicitur, plùs quoque Diva tenet.
Nobilis Ismerie (quis fallere possit amantem?)
Carceris Eöo limina sole subit.
Illa decus stupet egregium, vultusque MARIÆ;
Quòdque ignorat adhuc, numine visa rapi est.
Ah! pereat Mahomet, fletu solvente stuporem
Clamat, & impietas illa paterna, vale.
Accipe me, Virgo, tua me in sacraria dono;
Quàque coluit Franci, te pietate colam.
Dixerat, & subitò Francis comes additaMemphim
Deserit, inque tuos, Gallia, tendit agros.
Tu quoque fige cliens avidos in imagine vultus,
Quæ tua cælestes mittat in ossa faces.
Et dices, si fortè rogant, mortalia cur non
Amplius aspicias ora; MARIA vetat.
Te miserum! si prætuleris simulacra, pudori
Quæ probra virgineo non abolenda ferant.
Fœda quis esse neget simulacra Cupidinis arcum?
Frons pharetra est, oculi spicula, meta fumus,
Liligeri Lodoicus honos & gloria sceptri,
(Quem pietas dixit religiosa Pium,)
Aula, Pharetratæ studijs addicta Dianæ,
Sive avibus ferret retia, sive feris:
Virginis àëria figebat in arbore signum;
Aráque, quo votum mitteret, arbor erat.
Quare age, qui claudis densos indagine saltus;
Aut laqueo pavidas ludificaris aves:
Si quid habes animi, si quæ pietatis imago est,
I preme, quo pulchrum dux pede pressit, iter.
Sic te divus amor; sic te pulcherrima cœli
Regia, cultorem Virginis esse velit.

ELE-

ELEGIA VIII.

Cultui B. V. MARIÆ Sabbato vacandum

TU quoque perpetuo venerabere Sabbata cultu:
Sabbata virgineos inter habenda dies,
Juverit ante tuæ figi simulacra MARIÆ
Lampada, quam solida vivere luce velim,
Atvatico dudum placuit mos ille clienti,
Sabbata succensâ qui colit ista face.
Mercibus insignes oculo percurre tabernas:
Fax radios Dominæ sternit ubique meæ.
Hæc aliquis si parva vocet; sunt parva fatemur
Munera, portentis sed celebrata suis.
Cerea fax arde, Silvæ quondam incola dixit.
Imos, dum redeam, Virginis ante pedes.
Arsit, & ille redux illæsâ ellychnia cerâ
Obstupuit flammas côntinuasse suas.
Alter virgineis funale dicaverat aris,
Cùm nova militiæ cingula sumpsit eques.
Alta maris dum fortè secat, nigrescit ab astris
Æquor, & effusis decidit imber aquis.
Ventus & unda suas acuunt in prælia vires:
Sidus ubi es? certam navita poscit opem;
Cereus in medijs visus radiare tenebris:
Talis erat, qualem Virginis ara tulit.
Quem propè divino sedet Heroina paratu,
Quaque manu ventos, hac quoque mulcet aquas
Nec florum varios desideret ara colores:
Hæc alijs etiam dona diebus erunt.
Et si pulchra tuæ depromere facta Parentis
Sit locus in laudes lingua Parentis eat.
Cùm te, Diva parens, de nomine Kostka vocaret,
Vox erat in titulos ingeniosa tuos.

Arbor ut avulso non deficit aurea ramo,
Sed subit alterius virga renata locum;
Haud secùs ex alijs alias de Virgine laudes
Fas erit alterius ducere laudis ope.
Adde, tuæ si ferre queant, jejunia, vires:
Quoque vales inopes ære levare, leva.
Nec sacri tibi parva, velim, sit cura libelli,
Quem cultum Hebræi pectine Regis habes.
Hunc lege: dùmq; legis, fac mentē verba sequantur
Séque tuus cunctis versibus aptet amor.
Carmina præcipiti nolim fraudata labello.
Neu festinatis dimidiata sonis,
Casta placent Divæ: castam priùs indue mentem,
Ne veniat votis ulla repulsa tuis
Fercula blanda placent, sed nō sine lance probātur.
Omnis ab immunda gratia lance perit.
Sunt alij, quos virgineus quandòque relicti
Muneris immemores insimulavit amor.
Optima Kempensem docuit Regina clientem!
Officij quid sit parte vacare sui.
Hic loca Gymnasij quandam conscendere Nymphā
Vidit: & incessu cognita Nympha fuit.
Accessit socios, socios amplexa fovebat;
Oscula (proh Superi!) qualia, quórque dabat!
Non tulit id Thomas: & quis rivalis amoris
Signa dari socijs blanditiásque ferat?
Amplexusque lubens optâsset & oscula: quis non
Talibus illecebris sollicitetur amor?
Cui divina Parens, frustrâ puer oscula tentas:
Jn mea nil juris suavia segnis habet.
Te tua segnities nostris complexibus arcet;
Quæ mihi pactus eras, pensa relicta queror.
I nunc & solito posthac succumbe veterno:
Talia damna mei torpor amoris habet.

ELE-

ELEGIA IX.

Per frequentem S. Eucharistiæ sumptionē cultus exhibendus B. V. MARIÆ.

DIva parens de more sacras accedit ad aras:
Huc age, spectatum gens Mariana veni.
Aspice, sidereis ut eat stipata catervis:
Dux amor accensas ventilat ipse faces.
Aspice, compositos ut tollat ad æthera vultus,
Cœlestes animo præcipiatque dapes.
Quàm bene sanguis ades cū corpore, clamat, & ô tu
Divitijs nati mensa beata mei!
Quot bona sub geminâ diffundis imagine JESU!
Quàm propè delicijs rumpor ab ipsa meis!
Corpus & ille cruor, quem largo pectore dònas:
Quid nisi sunt animi blanda alimenta mei?
Qualis ad irriguos cervus ruit impiger amnes?
Qualis & in prædam regia fertur avis;
Talis sanguineos sitio, mea gaudia, fontes,
Talis nostra tuum fercula corpus amo.
Sanguis & esca veni, jam traijcienda palato:
Traijciende fibris sanguis & esca veni.
Nate meum desiderium, mea vita, meum cor!
E quibus exieras, in tua claustra redi.
Urimur, afflatùmque novo salit hospite pectus;
Hinc procul esuries, & violenta sitis.
Sancte cruor, nostri pars sanguinis optima, salve,
Corpus ave, quondam portio parva mei,
Quàm bene gratus ades cū corpore sanguis, & ò tu
Corporis atque animæ prodige Nate tuæ!
Pulcher eras, cùm nocte tua ad præsepia trâxti
Agnorum vigiles in statione duces.
Pulcher eras, fudêre tibi cum munera Reges,
Quos rutilis Eos prima colorat equis,

Pulcher eras; quādo ille senex te accepit in ulnas,
Quem vitæ saties, mortis habebat amor.
Pulcher eras, Mosem spectandus & inter Eliam,
Sol, tua cùm facies; nix, toga visa fuit
Pulcher eras, laceto dum corpore sponte micares
Ille tuus plagis non saturandus amor,
Pulcher eras, alio cùm victor ab orbe Parentem
Visus es alloqujs exhilarare tuis.
Pnlcher ubique, licet, sis & pulcherrimus ipse;
Ac spiret factis gratia mira tuis:
Pulchrior hic, Mystæ dum verba ad quina revisis
Veste peregrinâ dissimimulatus humum.
Pulchrior in potum dum te convertit & escam
Fortis amor sitiens esuriénsq; mei.
Plus habet ara tui, quàm quod sibi lumina spōdent
Quam bene quis sensu judice scire queat.
Ebrius hic somnóque velut correptus amoris;
Tempora nescio quô fallis amica modô.
Corde super nostro securum carpe soporem:
Nemo suos somnos, qui malè turbet, erit,
Hæc tibi nota domus, cum demitantibus astris,
Tu nova virginei sarcina ventris eras,
Jam mihi redde tuos, vincunt qui sidera, vultus:
Quæ superant primas, lactea colla, nives.
Nate mori concede, precor, concede: medullis
Flamma tua est nostris, nostra recepta tuis.
Quid toties de morte juvat contendere? cordi
Longius exilium quod tibi restat, habe.
Interea satis usque tuo sit corpore vesci;
Sit satis & pasci sanguine, Nate, tuo.
Virgo parens, sanctis quoties altaribus adsto,
Excipióve sacras, conficióve dapes:
Insere, quæso, meo dulces in pectore sensus,
Quos tuus in vita semper alebat amor.

Præ-

Præcipuè quando ille tuâ se gestijt alyo
Condere, qui cœlo, qui nequit orbe capi.
Præcipuè quando ille sacram faciebat ad aram,
Qui tibi, pro Christo, filius alter erat.
Infere, quæso, meæ flammantia lumina menti,
Tota quebus quondam splendor & ignis eras.
Infere, quæso. fibris epuli cœlestis amorem,
Exacuatque sitim nectar, & esca famem.

ELEGIA X.

B. Virgini MARIÆ injectâ brachio catenâ sese mancipat.

Pone amor hic flores: non jā nectēda corona est
Qua caput, aut Dominæ gaudeat ara meæ.
Pone leves arcus, habilèmque ad terga pharetram;
Concedunt telis pectora fixa tuis.
Exute de manibus, firmant quæ fœdera tædas:
Pacta fuit pridem non temeranda fides.
Vincula sunt cudenda tibi: mea Diva favebit;
Addet & extremam forsitan illa manum.
Orbibus ætatis modicam compone catenam;
Quam pro gemmifero brachia torque gerant?
Ferratòque stylo vinclis insculpe MARIÆ
Mancipium. Titulus quæritur iste mihi.
Virginis hac etiam captabimus arte favorem.
Ducimur exempli lege, Marine, tui.
Tu quondam insolitâ devinctus colla catenâ
Diceris ad Dominæ procubuisse pedes;
Mancipijque tuos de more professus amores,
Annua de censu dona tulisse tuo.
Addideras lacrymas, lacrymæ decuêre Marinū.
Addideras gemitus: his quoque pondus erat.

Dum licet, obsequijs & nos laudemur in illis:
  Noster in expertum nil sibi linquit amor.
Mancipiū sum Virgo tuū. Plus laudis in illo est,
  Regia quàm forti sceptra tenere manu.
Me, precor, in leges, & quaslibet accipe nutus,
  Arbitrioque tuo tempora nostra rege.
Et vos vincla meos toties optata lacertos
  Stringite, servitij pignus & este mei.
Roma vetus lunas sua Vellera laudet Iberus,
  Et niteat stellis Gallia culta suis:
Plus ego quàm lunas, & plus quàm vellera curo
  Vincula, fortunæ dulce monile meæ.
Nec mihi maluerim stellatæ vestis honorem,
  Sit licet heroi sanguinis illa nota,
Æterni nexus, & nexibus addita cura!
  Vos neque supremo funere solvet amor.
Cur aliquis Paphias admittat sponte catenas,
  Induat inque ferum libera colla jugum?
Ah! labor est Dominæ fastidia ferre superbæ:
  Ah! labor est, fastus, Cypria, ferre tuos.
Et tamen ille gravem duro sub amore catenam,
  Deliciasque suas blanditiasque vocat.
Me juvat ad faciles nutus pendere MARIÆ,
  Quæque supercilio dat mihi jussa, sequi.
His agar imperijs; nec quod domat omnia fatum,
  Obsequij poterit rumpere jura mei.

ELEGIA XI.

Dies B. V. MARIÆ cultui non impensa vespere deploranda.

QUid mihi somne tuo cum munere? transfer ad ægros,
  Transfer ad insomnes dulce papaver anus.

Ille

Ille ego, qui Dominam tam serus amator amavi,
Jam redimo vitæ tempora lapsa meæ,
Jam nova cum geminis sum fœdera pactus ocellis,
Viret ut insidias doctus uterque tuas.
Novit uterque brevi quantum sit pondus in hora,
Quâmque sit obsequijs nox pretiosa meis.
Semen uti sulcis, nobis sic creditur hora:
Illud & illa, suo tempore, fundet opes.
Villice, si nullo glebas invertis aratro,
Semina si sterili nulla recondis humo;
Aut nihil, aut lappæ campis dominantur in illis:
Aut nihil, aut totam carduus implet humum.
At si prima tuis servisset amoribus ætas;
Quot bona, quàm grãdi fœnore, Virgo, daret!
O dolor! è multis, quos olim stultiùs, annis,
Egimus, ad Dominam pars quota serò redit?
Cum mea libertas cæcis erravit habenis,
Ivit & admisso, quo calor egit, equo?
Hactenus: & satis est, liceat modò dicere, vivam:
Et solido vivam mense, MARIA, tuus.
Hoc quoq; si nimium est, ô saltèm dicere possim,
Quòd data servitio lux fuit una tuo.
Quis credat! malè præteritas dum metior horas;
Invenio vitæ tempus inane meæ.
Quid superest, nisi damna vagæ deflere juventæ?
Tam vacuos tot jam mensibus esse dies?
Noctē igitur nostro, noctē hanc concede dolori,
Diva parens: nox est planctibus apta meis.
Illam inter lacrymas, inter suspiria ducam;
Orantem dum me viderit orta dies.
Aut si somnus iners fessis obrepat ocellis;
Somnia de castâ virgine mittat amor.

ELEGIA II.

Festi dies B. V. MARIÆ colendi. Concipitur B. V. MARIA.

AUrea lux oritur: vitam purissima Virgo
Accipit. ô Superis, & mihi læta dies!
Crede (pium est) culpæ immunē prodîsse puellam,
Et sine peccati vepre fuisse rosam.
Sic & fortis Iber primævâ à labe MARIAM
Vindicat, & sese quo tueatur habet.
Magne Philippe, tuo res hæc impulsa rogatu:
Et cœlum augurijs adfuit omne suis.
Nam tuus è dominâ cùm venerat urbe Madritum
Nuntius (hanc lucem candida gemma notet)
Conceptæ (ut perhibent) lampas votiva MARIÆ
Sponte, nec ullius luminis arsit ope.
Prodigij mirata modos Hispania, tentat
Prodigij certam sollicitare fidem.
Cùm jejuna novum sitiunt ellychnia olivum;
Addit aquam: & flammis pabula fecit aqua.
Plaude tibi, & primo Dominæ gratare triumpho;
Quot bona, quot palmas iste triumphus alit!
Proderit & natas cum Virgine pendere dotes:
Iste labor nullâ parte pigendus erit,
Ardet, & in summum fertur Virguncula Numen,
Cùm bene vix nata est, vix bene natus amor.
Non sic formosum sequeris flos aureæ solem,
Dum propior folijs incubat ille tuis.
Non sic icta suam magnete aspirat ad Arcton,
Inque polum trepido pondere vergit acus.
In reliquis par relligio servanda diebus,
Quos festos veteres instituistis Avi.

ELE-

ELEGIA XIII.

Obsequia Angelorum erga natam B. V. MARIAM.

CRedita virgineæ quibus est tutela puellæ,
Huc cita festivo turba volate gradu.
Floribus innumeris nascentem ornate MARIAM,
Et date quidquid opum verna ministrat humus:
Et date quidqnid opũ partijs transmittit ab hortis
Et Syrus, & teneri mestior odoris Arabs.
Non pudeat facili cunas agitare lacerto:
Illo, quô peragit Phœbus, & annus iter.
Non pudeat levibus circùm colludere pennis:
Non pudeat cantu blandula verba loqui.
Quisque canat natam: studijs certamina crescent
Argumentum ingens. Virgo tenella dabis.
Sollicitæ vocet in somnos si cura Parentis;
Efficite ut claudat lumina fessa sopor,
Næniolis teneras mulcere suaviùs aures:
Blandule somne veni, somnule blande veni !
Non illi officiant in somnia dura: salutes.
Mille quiescenti cornea porta ferat.
Si velit admotis maternum sugere labris
Uber, & in medio ludere læta sinu;
Vos citharis aptate manus, & carpite nervos,
Ut fluat in fauces molliùs ipse liquor.
Fraga modò, & cerasa, & baccas, & cerea pruna
Fundite, quæ manibus verset, & ore premat.
Postea cùm discet telluri infigere gressus:
Vester erit, corpus sustinuisse, labor.
Ne dubias fallant vestigia lubrica Plantas;
Néve cadens tenerum sauciet ipsa latus.

Cura sit, & sacram cùm parvula tendet ad Ædem,
Brachiolis vestras supposuisse manus.
Munus idem præstare decet, cùm viset Elisam,
Agnatæque petet limina læta domûs:
Vos illi circum colles conjungite gressus,
Et facite ut lædat glarea nulla pedes.
Sponte suos tellus in blanda tapetia flores,
Colligat, & cunctis explicet illa vijs.
Sponte suis Titan radijs occurrat eunti;
Plaudat & argutis mollior aura sonis.
Dicite, Sithonius vibret, si flamina ventus,
O grave virgineo corpore frigus abi.
Humida si liquidos nubes solvatur in imbres;
Vestra, precor, guttas arceat ala procul.
Si jubar auricomum Phœbi, si ferveat æstus;
Ne nimis incaleat, ventilet ala caput.
Rideat interea florum discrimine vallis,
Et juga mons faciles pandat in alta vias.
Tēpus erit, quando illa DEUM Virguncula partu,
Et dabit, & terris gaudia magna feret.

ELEGIA XIV.

Exercitationes B. V. MARIÆ ad Salomonis Templum.

OTia nescit amor, procul hinc discedite inertes:
Hoc docet ex adytis Virgo tenella sacris.
Hic animum, & primas cœlo dicat ignea curas
Inchoat, & plenum Numine claudit opus.
Multa licet coram virtutum exempla puellis
Præbeat; in tacito pectore plura premit.
Atque animum meritis (scires hoc esse MARIÆ)
Excolit, & cœlo cætera teste facit.

Hoc pia contenta est, hoc gaudet Diva theatro,
Hoc sibi proposito sedula fine vacat.
Inductis ut apis sua per præsepia ceris,
Multiferos complet melle liquente favos:
Ut solers tenues bombyx concretus in artus
E fibris texit serica fila suis:
Aut ut operta novis incumbunt ostrea gemmis,
Dum latet in conchæ lucida gutta sinu:
Sic habitans secum sensus pietatis, & ignes
Educat, & gremio casta puella regit.
Cura secunda fuit Vatum per scripta vagari,
Quos magno dignos æthere vita tulit.
Et modò legiferi divina volumina Mosis,
Ductáque cum priscis fœdera versat Avis.
Et modò Davidis numeros, modò fata Nepotum
Volvit, & Amosidiæ mystica visa Seni.
Tertius opportuna labos ad pensa vocabat
Jam sceptro dignas imperióque manus.
Hæc, reor, aut similis telam distinxit imago:
Hortus, & ante fores ensifer ales erat
Non rosa, non calthæ deerāt, non lilia: non quod
Spirat hians primo tempore veris humus.
Arrisisse ferunt flores (sensisse putares)
Dulce quibus nasci Virginis arte fuit.
Arboribus par ardor inest: sic quælibet ambit
Virginis ut ductâ vivere possit acu.
Quid de fonte loquar, toti qui providus horto,
Quatuor in fluvios exonerabat aquas?
Hîc numerosa suis animalia flexibus errant:
Hîc simulant miro gutture carmen aves.
Multa super geminâ fuit arbore cura labórque;
Una dabat vitæ semen, & una necis.
Finxerat & colubrum, colubrīq; volubilis orbes:
Adde sonum bysso; garrulus anguis erat.
Cùm

Cùm pomi tentavit opus, subsistere cœpit,
Dextera que insolito torpuit icta gelu.
O quoties dixit: Quando prodibit in auras,
Quæ caput hoc colubri femina calce terat?
Tum verò ingemuit, cum lumina pingeret Evæ;
Quæ velut irato dente momordit acus,
O utinam, ajebat, nunquam cepisset ab angue,
Credula quod facili præbuit Eva viro!
Cur modo posteritas (vox intercepta dolore est)
Debeat alterius crimine tota mori!
Summe Deus (quod missa canunt oracula cœlo)
Carne tuum Numen dissimulante veni
Tunc, precor, ancillas inter me pone Parentis;
Et potero in tantà non nihil esse domo.
Tunc mihi fasciolis constringere mēbra voluptas
Una erit, & somnos sollicitare tuos.
Adrepámque tuis, si fas, pulcherrime, cunis;
Et figam, si fas, oscula pauca genis.
Si tamen, inveniar pensis regalibus impar;
Est mihi, quæ plantas abluat, apta manus.
Dum loquitur, sacro magis ac magis uritur igni,
Féréq; genas lachrymæ, quas parit ardor, eunt.

ELEGIA XV.

B. V. MARIA Elisabetham visitat.

LUmen ad agnatæ Virgo festinat Elisæ:
Hæc uteri sexto mense ferebat onus.
Non illam maternus honor, non cura quietis,
Non juga, non duræ detinuêre viæ.
Causa viæ pietas: Nec tu Baptista negares:
Sed puer es. voci nec via facta tuæ.
Ast ubi maternas vox virginis attigit aures;
Diceris audito subsiliisse sono,

Sic

Sic ubi pulsa fides citharæ, viciná sonanti
Altera respondet, ceu simul icta foret.
Crediderim auditâ motos quóq; Virgine postes.
Cardinibusque fores exilijsse suis.
Tu puer interea claustris exire parabas,
Nescius ardores dissimulare tuos.
Jam q; loci impatiens, cur non erūpimus: inquis.
Fas modò naturæ jura novare meæ.
Quid vinctus sedeo? venit, qui vincula solvat:
Quid moror in tenebris? lux dedit orta jubar.
Salve noster amor, per quem modò vita salusq;
Natalem nobis contigit ante diem.
Ah! satis est latuisse, moræ, quam ducimus ambo,
Sit brevis hora meæ, sit brevis hora tuæ.
Tunc ego præco tuus dicam: Subsidite montes,
Et faciles, curvis vallibus, este viæ.
Tunc ego lustrales sistar Jordanis ad undas,
Adventúsque feram nuncia certa tui.
Tu quoque prima meæ felix aurora salutis,
Virgo parens, longos hîc age, falle, dies.
Non mihi nascenti veniet felicius astrum:
Non me suscipiet castior ulla manus.
Hæc puer. Et similem poterit sperare favorem,
Quem volet adventu Diva beare suo.

ELEGIA XVI.
B. V. MARIA JESV Christi Mater.

VIrgo, DEUM casta quæ circumplectitur alvo;
Dicite quo, Superi, Mater habenda loco?
Ipsáque dum tanti mensuram nominis implet,
O quantum per se gloria tanta valet!

Hue

Huc collecta ruunt titulos dispersa per omnes
Munera, quæ tellus, quæ vel olympus habet.
Hinc precium meritis, hinc jura dat altera cœlo;
Altera dat terris: utraque digna DEO.
Sic quæcunque venit luci nativa venustas,
Debetur radijs, aureæ Phœbe, tuis.
Sic rosa purpureum trahit à radice colorem;
Sic trahit & mustum fertilis uva suum.
Et quos præterea miramur in arbore fœtus;
Et quæ præterea gramina campus habet.
Non ego diffiteor, quin possis omnia Numen.
Subsunt imperijs, omnia namque tuis.
Tu potes in rutilos effingere saxa pyropos,
Tu potes in cœli vertere nectar aquas.
Dic, Astrum fiat, fiet flos aureus astrum:
Dic cœlo: cœlum floridus hortus erit.
Omnia cùm possis; nil par, Matrive secundum
Unquam (da veniam) dextera finget opus.
Nam nihil est operis quidquam, quo prodeat ultrà
Ex quo Virgo DEI creditur esse Parens.

ELEGIA XVII.

B. V. MARIA templo Jerosolymitano, mulierum more, se sistit.

SIste pedem, quæ causa viæ est, purissima Mater?
Nil debes legi tuque puerque tuus.
Functa puerperio mulier festinet ad Ædem:
Lex jubet, & causas pagina Mosis habet.
Non tua virginitas partu libata, pudórve
Creditur: auctôrem res habet ista DEUM.
Et tibi candor inest (sit fas hic fingere vati)
Regia quem nuper visa referre domus.

Ipse

Ipſe domum vidi, vel me vidiſſe putavi.
Hoc erit: ingeniô blandior ipſe meô.
Materies cryſtallus erat, cryſtallina portæ
Limina, cryſtallus viſa columna fuit.
Et domus interior cryſtalli luce refulſit:
Fulgor ab admiſſo lumine ſolis erat.
Singula dum luſtro, Solis domus aurea, dixi,
Alterius non eſt hoſpitis illa domus.
Viderat hanc aliquis. Quò puriùs illa niteret,
Hauſtas communi fonte ferebat aquas.
Quiſquis es aufer aquas, nihil eſt illuſtrius illâ:
Tota micat ſolis luce coruſca domus.
Iſta domus (nec vana fides) te Mater adumbrat;
Par aliquid tecum, majus & egit amor.
Purior effulges, caſtâ ſeu concipis alvo,
Seu natum illæsâ virginitate paris.
Numinis eſt, quodcunq; fuit: Tu Virgo Parenſq;
Diceris, hæc miro fœdere juncta tenes.
Quid tibi cũ Moſe eſt, quid cũ luſtralibus undis?
Facta puerperio pulchrior ipſa tuo es.

ELEGIA XVIII.

Amiſſio JESULI duodennis.

ILla ego, præ cunctis quæ fortunata refulſi
Matribus, & cœlo judice tanta fui:
Nunc queror, orba meo (quo nil mihi majus) IE-
(SU
Heu! modò felicis gloria matris ubi eſt?
Ipſe fuæ lumen (cauſa eſt ignota) parentis
Suſtines occulto deſeruiſſe pede.
O fugâ, quâ miſerum torques formidine pectus!
Sollicitor mores ipſa timere meos.

Utque

Utque vacent culpâ; culpæ terremur ab umbrâ.
Res eſt, amiſſus, plena timore, puer,
Vir ſocius de more viris, ego matribus ivi,
Inque tuas ſedes & tua templa, Pater.
Jámque tuum feſtas cum conjuge numen ad aras.
Aſcenſis fueram devenerata focis?
Quando domum repetit damni ſecurus uterque,
Quod mentem ancipiti diſtrahit uſque metu.
Credidimus puerum, dum limina nota reviſunt
Iſacidæ, paſſus aſſociâſſe ſuos.
Noxia credulitas! reduci gratata marito,
Fallor an, exclamo, filius unus abeſt?
Quis mihi te, quæſo, rapuit mea gaudia IESU?
O nimium audaces in mea dámna manus!
Ite pedes: repetenda via eſt, nulliſque labori
Parce tuo Joſeph, parce MARIA tuo.
Diximus. Egredimur: nec nos ſomnúſve, cibúſve
Detinet, emenſum rurſus initur iter.
Nox erat, & preſſo languebat murmure tellus,
Frondibus & mutas ſilva tegebat aves.
Sæpe ſub incerta titubantia lumina luce
Suſtuli, in incertum laſſa ferebar iter.
Sæpe ubi diverſos faciunt divortia calles;
Fallebat greſſus ſemita rupta meos.
Sæpe ſub anguſtæ ſuſpirans tegmine ſepis
Nixa ſolo, genibus membra locanda dedi.
Altera jámque dies, jámque altera fulſerat orbi;
Nec procul à Solymæ mœnibus urbis eram.
Excubitor portam numeroſus miles habebat.
Forſitan hinc, dixi, nuntia certa feram.
Dic bone, forſan heri puer hac duodennis, an illac
Quem veſtis nullâ ſutilis ambit acu?
Ille mihi paucis: Feſto quis Paſchatis undam
Dignoſcat populi prætereuntis? ait.

Conti.

Continuò celeri plateas animosa volatu
Metior; audacem me faciebat amor.
Dicite Vos, ô vos Solymitides, ô ubi Natus?
Dicite, si vestrâ forsan in urbe fuit?
Spectastis frontem? frons pulchrior emicat astris:
Lumina spectâstis? sideris instar habent.
Ora serena rosis certant (ignoscite matres)
Plura loqui gemitu lingua retenta nequit.
Verte aliò vocem, cœlóque expone querelas
Virgo tuas; isthinc fortè levamen erit.
Si mea te cœlum moveat jactura; Parenti
Dic age (namque vides omnia) Natus ubi est?
Dic age, quas habitat terras, quibus exulat oris?
Quàm procul à nobis, quâ propè noster amor?
An sua Bethlemias lustrat cunabula terras!
Assidet aut ripis, invide Nile tuis!
An vagus in silvis, aut montibus errat in altis?
Aut stipis exiguæ sustinet ære dies?
Nulla mihi responsa polus, neque sidera reddunt:
Pignore dissimulant fortè beata meo.
Quis dabit audaces materno in pectore pennas?
Quis celerem sursum flammeus axis aget?
Si puer in cœlo, cœlo raperemus ab ipso:
Assererem; meus est, injicerémque manus.
Hei mihi! verba Notus tenues effusa per auras
Distulit; agnosco non ibi, Nate, lates.
Astra, precor, stellam de tot mihi millibus unam
Mittite, non dubiam lata per arva ducem:
Quæ tribus (ah! longum est) Natum mihi reddat ademptum
Solibus, ô duræ præmia blanda viæ;
Sed neque, quæ Reges Nabathæo littore duxit,
Optatum toties stella ministrat iter.

O quæcunque meum regio ſubduxit IESUM,
Audiat, & gemitus audiat æqua meos,
Una duos jungat, par ſors erit una duobus:
Sive ſit hoſpes, ero, ſive ſit exul, ero.
Chriſte tibi ſolidis toties famulata diebus,
Exhibui promptas ad tua juſſa manus:
Pro quibus officijs, ſi quid concedis amanti,
Ne deſiderio me magis ure tui.
Hos per, ego, te Nate, ſinus, hos te per ocellos:
Quos rapuere tui, qui rapuêre tuos:
Vel matri concede mori, vel vivere tecum:
Alterutro felix munere mater ero.
Nec ſine te, nec tu ſine me quæreris: eodem
Conditus, aut vivus ſtabit uterque loco.
Tu quoque, ſi quãdo tua lux, tua, Virgo, voluptas
Aut latet, aut oculis excidit illa tuis:
Ipſe tibi dices? Quæ me prævenit amore,
Méque priùs novit, quàm mihi notus eram;
Et fugit, & votis ſeſe cupit ipſa requiri:
Quæ modò rapta doles gaudia ſponte dabit.
Excute ſi qua latent in te veſtigia culpæ
Si non officiunt ſingula, multa nocent.
Illud & illud habes, ſpecie quòd lædat amorem?
Delendum lacrymis illud & illud erit.
Æthera ſublimi mentis conſcende volatu,
Votáque ſollicitâ pluríma funde prece.
Jam tibi dic redeat, jam dic aſpiret amanti,
Sol ubi ter feſſos æquore merſit equos.
Aut ſi lenta MARIA tedit, reditura putetur:
Quis tam perfidiâ, quem valet illa fide?
Aut his, aut alijs, dum ſpéque metúque laboras:
Ipſe tibi ſenſim decipiendus eris.
Perfer, & abſentem conſtanti mente morare:
Pinguis humus laſſat, ſed juvat ampla ſeges.
Ut

Ut revocet auræ, nautas tamen abripit aurum(
Allicit & trepidas in vada cæca rates.

ELEGIA XIX.

B. V. MARIA in Calvariæ montem tendit.

ITe pedes, & iter tenetis decurrite plantis,
Quod crucis imposito pondere Natus ijt.
Grande vim pretium passus spectare cruentos:
Signa pedumque notas, queis movearis habent.
Hic meus incertô gressu titubabat IESUS,
Milite nil laceros; heu! miserante pedes.
Vidimus & lateri geminos hærere latrones:
Pars pompæ lictor, pársque satelles erat.
Vidimus. Et guttis oculi maduêre profusis:
Tinctáque sunt lacrymis saxa cruenta meis.
Hîc ego Nate Crucis memini te mole gravatum:
Fiximus hic tristem tristis uterque gradum.
Lumina sustulimus, tanquam loqueremur & illis:
Junximus & lacrymas; his quoq; lingua fuit.
Jámq; labas genibus, jamque exanimaris iniquo
Pondere, ni Simon advena tollat onus.
Tunc mihi per medias fuit impetus ire catervas:
Crux humeris, dixi, convenit ista meis.
Et quantò minùs ire pudor, magis ire jubebat
Ille tui totâ mente missertus amor.
Quò magis accessi, mœror magis intima pressit
Pectora, nativus liquit & ossa calor:
Ter conata loqui, siccis ter faucibus hæsit
Lingua, ter in gelido defuit ore sonus.
Ursit iter lictor: nec te mihi lictor ademit;
Infelix oculis te sequor usque meis.

Vidimus hîc largo matres tabescere fletu
 Nec dolor his unus, nec color oris erat.
Interea moliris iter, montisque cacumen
 Scandis, & ægra gravi membra labore trahis:
Qui mihi nuper erat, sensus redit ille doloris:
 Quæque tuli nuper vulnera, rursus hiant.
Ah! nimium sceleri licuit! quis credat? ab altâ
 Noster amor furca triste pependit onus.
Non tulit id Titan; frontem ferrugine texit:
 Non tulit id Phœbe? palluit ægra metu.
Utraque sic transfixa manus, sic cuspide plantæ,
 Sanguine concretæ sic jacuêre comæ.
In me sic oculos (oculi jam in morte natabant)
 Flexit, & extremum sic dedit ore vale. (tu
Quis gradus ulterior, quò tu furor improbe, quò
 Inflictâ feritas progrederêre nece?
Ergòne sic generis redimenda piacula nostri?
 Non homines tanti, totáque terra fuit.
Carpsit Adam vetitos uxorius arbore fœtus:
 Altera jam Natum, proh scelus! ârbor habet.
Mortis Adam reus est; pariter tea mortis Idumæ:
 Ille crucis causam præbuit, illa manum.
Sed te jussit amor, mea lux succumbere letho:
 Si sine me, vitæ non sine parte meæ.
Dimidium tu Nate mei es; jungamur uterque;
 Et liceat matri, te tribuente, mori
Virginis ut tantos miseris an ator amores;
 Hæc loca, quæ toties Mater obivit, obi.
Non ego te jubeo Solymeas visere terras;
 Quas premit imperio Turcica Luna suo.
Non ego te Cyprũ, non te prôperare Zacynthum,
 Non ego te Veneto solvere vela mari.
Sit tibi cura sequi, quò relligione recenti
 Belgica per muros, aut stata templa vocat.

Hîc

Hîc via ſeptenâ celebris Statiône notatur.
Has tûus ad metas currat, oportet amor,
Huc, age, te confer cum Virgine: lactea fiet
Jam via, quæ Chriſto ſanguinolenta fuit.

ELEGIA XX.

Funus B. V. MARIÆ.

DIva parens, quanam poſſum te dicere causâ,
Communem reliquis mortis adiiſſe viam?
Non te febris edax; non te moribunda ſenectus,
Aut dolor, aut tabes aut gravis haſta tulit.
Integra quòd vitæ, ſceleris quòd pura micares;
Mittere mors jaculum non fuit auſa ſuum:
Te quibus impeteret, trepidâ cum morte pharetrã,
Et ſua mutavit ſpicula divus Amor.
Scilicet ex illo confixam vulnere, lethi
Te conſanguineus cœpit habere ſopor.
Sic ego ſim, liceatque tuis occumbere telis!
Fata triumphantis, non morientis, erunt.
Viderat hoc funus jam terris invidus æther:
Furta mihi, video, furta parânrur, ait.
Parce gravi tellus gemmam damnare ſepulchro,
Quæ tibi depoſiti nomine miſſa fuit.
Non decet, ut tenebris & nocte premantur ocelli,
Qui mihi pro gemino ſidere ſemper erunt.
Non decet ut caſtæ ſint vermibus eſca papillæ,
Unde DEUS tenero lac bibit ore puer.
Quis ferat, in cineres corpus mutetur & umbrã,
Altera quod ſummi Principis aula fuit?
Quis tibi terra, precor dedit hoc in corpore juris
Quod rude flagitij eſt, quod ſine labe nitet?

Multa parabat humus responsa simillima veris:
At lis judicio, Christe, dirempta tuo est.
Tres sibi luciferos depôstum funus haberet,
Fida velut custos seu bona mater, humus.
Dêin ubi felici lux tertia surgeret ortu:
Redderet illæsâ credita dona fide.
Quò mens læta suas adeat cum corpore dotes:
Quô par lætitiæ constet utrique modus.
Interea Josaphate tuæ per gramina vallis,
Remigiò alarum turba beata volat.
Pars tumulum lætas circum duxêre choreas:
Pars tumulo vultus appliquere suos.
Pars fudêre rosas, & plenis lilia dextris:
Pars digitis blandas increpuêre fides.
Tu quoque, qui tantum gestis ornare triumphum;
Undique jactato flore sepulchra tege.
Adde manum plectris(plectro sua gratia vestro est)
Pársque chori fiat parva canentis idem.

ELEGIA XXI.

B. V. MARIA in cœlum assumitur.

CRescere vota velim: victâ dum morte triumphat,
Et Virgo niveis æthera carpit equis
Curro per ætheros votis audacibus axes,
Altiùs & pennis vectus amoris eo.
Parcite Cœlicolæ. si fortè licentiùs errem.
Per loca mortali non adeunda pede.
Lux hodierna meæ corpusq; animúmq; MARIÆ
Sustulit, & cœli vivere sede dedit.
Et veter augustæ per vos assuescere pompæ?
Ah! non est vestri pectoris iste rigor.

Debue-

Debuerat nostro requiescere corpus in orbe:
Debuerat tanto pignore terra frui.
Cùm polus ipse suos animæ instauraret honores,
Et suus exuvijs corporis esset honos:
Hic ego ver florum, serta hîc ardentia gemmis,
Hic ferrem gratæ carmina mentis opus.
Hic tot pyramidas, quot amantum corda pararē:
Quótque Sodalitij membra, tot astra forent,
Tentáremque novum vestris affine triumphis,
Non minus invidiæ, quàm pietatis opus.
O saltèm faciles reserate palatia Divi;
Sic ego spectator, sin minùs actor, ero.
I mea sidereos, dicam, Regina, per axes,
Et numerum cœlo pleniùs adde suum.
Audio, festivâ te sidera voce salutant,
Ingeminántque tuis auribus: Ingredere.
Ingredere! ut niveis argentea luna capillis:
Ingredere, ùt primo lucida stella die.
Ingredere, ùt Regina tuam sublimis in aulam:
Et solium Nato proxima Mater habe.
Te nunc ille sui vocat in consortia regni;
Subdit & imperijs astra solumque tuis.
Aspice, luna tuis submittit cornua plantis,
Sólque tuum radijs cingit, & igne, caput.
Te modò diva parens (si te benè novimus) uret
In tua ducendi regna clientis amor.
Fungere maternis vicibus; jam noverit æther;
Quam tibi sint faciles in mea dona manus.
Hinc mihi de toto pluat aurea grando triumpho:
Hinc de missilibus sint mihi dona tuis.
Interea quò Virgo vocat, quóque incitat ardor;
Huc ferar. Huc mentis currite vota meæ
Kostka Magister erit, qui frigore febris & æstu
Languidus (hic animi morbus amantis erat)

Talia scripta suæ dedit opportuna patronæ,
Qualia proposito non aliena tuo.
Cerne meum, dixit, Virgo miserata dolorem;
Si qua fides dicto est, illius auctor amor.
Hic sua, ait, toto suspiria cognita cœlo,
Votáque virgineas ante jacere fores.
Et mavult Dominâ, Dominæ quam verba tueri
Nuntia; quàm testes mentis habere notas.
Grata quidem tenero quæ turget palmite gemma;
Gratior ac dulci quæ rubet uva mero.
Dulcius æstivis decerpere poma diebus,
Quàm primo vernas cernere flore comas.
Solve, precor, cupidam misero de corpore mentē;
Spes mea sat longis languit ægra moris.
Fortunata dies, quæ te super aurea vexit
Sidera: fas istâ sit mihi luce mori!
Quâ tibi promeritos Numen decrevit honores:
Quâ tua sideribus texta corona fuit.
Tunc ego, Virgò, tuæ comitarer fercula pompæ,
Iret & in plausus vox animúsque tuos.
Hæc scripto mandabat, & hæc & plura: sed eheu!
Impedijt tremulam febris adulta manum.
Finis epistolio paucis fuit addita verbis:
Virgo, voca, scripsit: vox satis, una, Veni.

AN-

ANTONII DESLIONS è SOCIETATE IESU DE CVLTV B. V. MARIÆ ELEGIARVM LIBER SECVNDVS.

ELEGIA I.

Ad B. V. MARIAM, quæ nomine Matris Misericordiæ in Bruxellensi Societatis IESV templo colitur, Votum pro Bruxellensibus anno 1636.

QUi te, Diva Parens, fœcundo cõparat imbri,
Laudat, & à genio non abit ille tuo.
Imber aquas, tu spargis opem: nil lenius illo;
Nil te quem seruas, lenius orbis habet.
Nullus erit, qui possit aquæ subducere guttas:
Qui tua subducat munera, nullus erit.
Ducit ab imbre parens florum natura colores:
Hinc suus est plantis arboribúsque decor.
Educat hîc teneras in apricis collibus uvas:
Educat hîc fucco dulcia poma suo.
Hîc segetes, illîc mites protrudit olivas:
Et quidquid partu divite fundit humus.

 Et

Et tua non unos sumit clementia vultus,
 Quamlibet in partem mollis & apta rapi.
Sunt, quibus ingenuum videas marcere pudorem;
 Sunt quibus infaustâ lampade luxit hymen:
Sunt, quibus ignavô pendet lis tarda patronô;
 Sunt, quibus expositos sustulit hasta lares.
Improba quàm multis casum fortuna minatur?
 Quàm multis dubio gurgite prora volat?
Spectavi mediâ frigentes morte teneri:
 Spectavi miseros fulminis igne peti.
Omnia cùm possis, præsens ades omnibus una;
 Nec quot tu meritis, tot fluit imber aquis.
Ara mihi restis, quam tu Bruxella, supremis,
 Esse vides portum perfugiúmque malis
Triste quidem dictu, sed si tamen ultima spectes;
 Lætitiæ causam quâ capiaris, habes.
Fortè aliquis Stygijs animam devoverat umbris,
 Juratam calamo testificante fidem:
Hei mihi! quæ misero lethi tam dira cupido:
 Dum licet, elusâ fœdera frange fide.
Diva feri surdam cœlesti verbere mentem:
 Diva feri jaculo ferrea corda tuo.
Fallor? an irato venturum sidere fulmen
 Horruit, & dextræ scripta nefanda suæ?
Ipse tuæ supplex humilisque advolvitur aræ,
 Mitis ubi miseris diceris esse Parens,
Ter veniam lacrymis, pacem ter planctibus orat;
 Vix hoc sustinuit dicere: Mater ave:
Protinus æternis caput execrabile diris
 Dignaris vultu qui miserantis erat.
Sacra facit Mystes: exorant sacra favorem;
 Et facili tacitas excipis aure preces.
En gravis atrato descendit aranea filo,
 Et tulit avulsas hostis ab ungue notas,

Vidi-

Vidimus invisas feralia signa, tabellas,
Vidimus à Stygio rapta trophæa duce,
Vidimus accensos tantâ novitate Brabantos
In laudes junctis plausibus ire tuas.
Nec solùm admissis per te fit gratia culpis,
Aut damnata tuâ causa triumphat ope:
Invigilas, fidum ne quid malè lædat Amantem;
Quámque fides illi est, tam tibi cara salus.
Sensère Austriadæ patriæ duo sidera nostræ,
Spes sua præsidio quàm benè nixa tuo.
Quos Isabella animos, quos non Albertus honores
Dicitur hîc aris exhibuisse palam?
Et nunc Austriadas inter par nobile Divos
Fulget, & officijs præmia digna capit.
Si benè quid meruit pietas tam rara duorum;
Virgo feres promptas ad mala nostra manus,
Pestis atrox iterum bello comes addita spargit
Altera tela, ignes; altera tela, luem.
Opprime fatiferi surgentia semina morbi:
Sint mea Bruxellæ sint rata vota tuæ.
Utque, precor, facies: cunctis aptabere votis;
Majestas adeò mitis & æqua tua est.

ELEGIA II.

Votum pro adolescentulo B. V. MARIÆ Sodalitium ineunte.

FLoscule qui prima rides formosus in herba,
Floscule qui primo vere decenter hias:
Ibone, virginei modò jungere floribus horti,
Laxat ubi plenos nectari aura sinus.
Errat ubi tepidis per prata Favonius alis:
Sol ubi purpureo lumine vestit humum.
O te felicem! tua si bona floscule nôris!
Non poteras alio tutior esse loco. Novi

Novi ego, quàm teneris noceat levis aura rosetis;
Quam tuus ex facili decutiatur honos.
Diva fores, hortíque adicum custode corona;
Ne noceant homines, ne nocéantve feræ.
Nec Titan radijs florem, nec flatibus Eurus,
Aspera nec tristi frigore lædat hyems.
At Zephyri molles, & sol formosior, & fons
Irriguis apto tempore lambat aquis.
Incipe te blando, mi flosculé, credere cœlo;
Et primo illusum murice pande caput.
Cùm totam matura rosam te fecerit ætas;
Sceptra tuas flectes ad Mariana comas.

ELEGIA III.

Auceps ob amissum falconē patibulo addictus, voto B. M. Virgini Hallensi nuncupato, & falconem & vitam recuperat.

EXtulerat Titan lucem venatibus aptam,
Plurimaque æstivo sole volabat avis:
Tunc ego (præteritis & adhuc timor ipse periclis
Præsentes cogit mortis habere metus:)
Tunc ego, quæ prædæ me spes urgebat agendæ;
Aucupio volucres fallere jussus eram.
Ivimus. Et laxis falco jam liber habenis,
Dat plausum pennis, increpitatque motas,
Quáq; incerta volāt, volucrumq; examina ludunt:
Huc ruit imperiô protinus ille meô.
Ille volat, prædamq; premit, jamq; ungue tenetur
Altera; vix celeri est altera tuta fugâ.
Saucia pars trepidat; pars sese in nubila condit,
Tertia pars nidos, notáque lustra petit.

Quid

Quid facerem? nec te poterant æquare volantem
  Lumina, nec solitus sistere, falco, sonus.
Quò ruis, exclamo, fugitive revertere prædo;
  Siste fugam; prædæ sat populator habes.
Quod voci deerat, supplevit dextera plausu:
  Junctaque cum plausu signa vocantis erant.
Et nusquam lapsæ spectantur ab aëre plumæ,
  Et nusquam reditus spes patet ulla tui,
Vertitur intereà cœlum, nox astra reducit;
  Et repeto patrios, pallidus ora lares.
Limina vix tetigi, cùm de falcone rogamur,
  Prædáque pennigero de grege quanta fuit?
Prodimur è vultu, nec vox tam firma paventi est,
  Elapsam ex oculis quin fateatur avem.
Ardet herus rabie, nec voci parcit ab ira.
  Furti, inquit, furti pœna luenda tui est.
Reddita ni volucris, postquam compleverit orbes
  Luna duos; laqueus criminis ultor erit.
Protinus in campos, & devia tesqua volamus.
  Nulla mihi intacta est silva, nec ullus ager.
Aëris éque fide supplex mea vita pependit:
  Aërijsque fides reddita nulla vijs.
Jámque dies aderat, quo me, sine crimine, furem
  Heu! furor, & Domini destinat ira mei
Insontem ergo rapit manibus de more revinctis
  Lictor, & in collo iam mihi nodus erat.
Tum subit Hallensis pietas mihi cognita Divæ:
  Et pietas animos, spes ubi nulla, facit.
O Virgo, Hannonias, dixi, quæ respicis Hallas,
  Unica quæ trepidis anchora rebus ades:
Aspice me miserũ, quem jam suspendia, quẽ jam
  Perdet ob elapsam, restis & arbor avem.
Nil ego peccavi. Nec te latet, optima Mater!
  Tu deplorato, quam potes, adfer opem.

Erro-

Erronem, quacunque vagis secat aëra pennis,
Virgo redire jube; jussa redibit avis.
Finieram. Falco plaudentibus advolat alis:
Non subiti casûs, Numinis istud erat.
Salve falco meæ vindex inopinæ salutis:
Auctor eris vitæ, qui modò mortis eras.
Te mihi Diva parens ignotis misit ab oris,
Ne reus admisso plecterer ipse tuo.
Vivimus augurijs Dominæ, famamque tenemus:
Tam felix nunquam præbuit omen avis.
Hoc quodcunque mihi, virgo superadijcis ævi,
Obsequijs, juro, serviet omne tuis.
Nec sua laus merito deerit: pendebit ad aras
Historiæ testis picta tabella meæ.
Hic erat elapso (scribam) falcone necandus:
Furcáque; quam spectas, fata datura fuit;
Inclamata Parens, istis quæ præsidet Hallis,
Optatam in dubiâ morte remisit avem.

ELEGIA IV.

Parthenici clientis ad B. V. MARIÆ Ædem, sub noctem properantis, vota.

Cœlo parthenici quotquot regnatis Amantes,
Ebria divino semper amore cohors:
Imus, & ire licet magnæ in sacraria Matris.
O faveat, qui vos sæpe beavit amor.
Scilicet aspirate meis gens aurea cœptis:
Quam terimus, vobis semita trita fuit.
Sic vos semper amet summæ Deus arbiter aulæ:
Sic vos Virgo, Deo proxima, semper amet.
Dum loquor, en tenebris aër densatur, & in me
Africus adverso turbine bella parat.

Nox

Nox tenebris armata tuis bacchare, ſimulque
Irrue cum ventis turbo proterve tuis.
Nil agis; auſpicijs ineo cœleſtibus Ædem;
Quaque viam pandit, me face torret amor.
Fallor? an excuſſis nimbóque & nocte renidet,
Cynthia, ſtellato conſpicienda ſinu?
Quis ſcit, an hoc lateat mea Diva ſub orbe? frequenter
Audijt à formâ Luna venuſta ſuâ.
Quis ſcit, an illa meos numeret per ſidera paſſus?
Nullus enim pretij paſſus inanis erit
Quis ſcit, an illa duces ultrò ſubmittat, amicam
Lumine demonſtrent qui præeunte viam?
Quis ſcit, an illa novis tot me ſine murmure lin-
Inque ſuas ſedes, & ſua templa vocet? (guis
Quis ſcit, an illa ſuâ texat mihi luce coronam;
Tórque mihi gemmas, cerno quot aſtra, paret?
Quis ſcit, an illa ſuos ſtellis adiunxit ocellos,
Plenius ut fidi ſpectet Amantis iter?
Auguror, & verum eſt: aſtris mea vota probatur.
O deſiderijs aſtra benigna meis!
In nova ſæpe pij migraſſe feruntur Amantes
Sidera: ſi fas eſt, mos, precor, ille redi.
Tunc ego virgineo lux ſcilicet addar olympo,
Tórque faces inter parvulus ignis ero.
Forte minoris erit qui captus imagine lucis,
Exemplo ſiat lucida ſtella meo.
Dum rapiunt & luna meos & ſidera viſus;
Neſcio quæ plantis additur ala meis.
An mihi ſancta domus vicinos afflat odores,
Inſolitóque meum numine pectus agit?
Ite pedes, aquiláſque citò prævertite curſu,
Veláque præcipiti vincite tenſa Noto.

Vos

Vos modò Parthenicis celebrata Sodalibus Ædes,
Tritáque nocturno poplite saxa vocant.
Nulla mora est, delubra peto. Jam supplice voto,
Jam prece, jam lacrymis ara colenda meis.

ELEGIA V.

Ad B. Virginem MARIAM, pro obtinendo IESV amore

QUid magis exoptem quàm quò vixisse putaris;
Vivere; quóve modò mortua Virgo, mori?
Sive tuum blanda cor fixit arundine IESUS;
Seu tua flammivoma, torruit ossa face;
Hoc ego, si fas est, languescere totus ab arcu,
Hoc ego, si fas est, igne perire velim:
Quáque homo, quáque DEUS, meliorum Christus amorum
Mille habet illecebras, mille potenter habet.
Sive DEUM spectem: quot amorum & quale theatrum!
Qui semel hunc potuit cernere, semper amat.
Sive hominem spectem: tot Amantibus afflat amores,
Vulnera quot lacero corpore fixa gerit.
Scilicet è patulis rumpant incendia plagis:
Eque oculis Nati spicula mille tui;
Nec scintilla pio, nec sic leve vulnus Amanti?
Quique alijs largus, sit mihi parcus amor?
Absit & ipsa, veta, sic te pulcherrimus ignis
Ambiat, & telis blanda pharetra suis.
Si me somnus habet, non sit, nisi somnus amoris:
Si vigilo; excubias semper amoris agam.
Si comedo, me grata fames invadat amoris:
Si bibo; sola pio ponat amore sitis.

Dum

Dum loquor, ardentē, qui pectore regnat, amorē
Eloquio spiret vivida lingua suo.
Ille meas sic ungue fides, sic pectine pulset:
Protinus ut dicant: Hic quoque ludit amor.
Quando erit, ut flammis tecum propè lædar ijsdē;
Et tecum jaculo pœnè, MARIA, pari?
Tunc ego non dubitem sævas perferre catastas;
Non dubitem pœnis omnibus unus agi.
Dulce foret miscere meum cum sanguine IESU:
Dulce foret longâ claudere fata cruce.
Fac mea vota tuis, Regina, simillima votis,
Cordibus éque duûm finge duobus idem.
Ambos unus amor sibi nos adstringet amantes:
Unus erit IESUS, vincula nostra, tuus.

ELEGIA VI.

Cliens Parthenius è purgantibus flammis opem B. V. MARIÆ sibi deposcit.

MAxima pars hominū, nec te, mitissima curat,
Virgo, nec offensi Numinis arma timet.
Ut tamen hoc itâ sit: misero prodesse clienti,
Id demum est pietas, id Marianus amor.
Me miserum potui, si mens non læva fuisset,
Errori veniam promeruisse meo.
En modò vindicibus teneor captivus & exul,
In quibus, heu! durum est, & pudet esse, locis,
Non sopor hîc curas, comitum non turba dolores
Mitigat, aut rapidos temperat unda focos.
Nos procul absentes cœlestia gaudia fallunt:
Missáque tam longè gratia rara venit.
Debita supplicijs cur non tormenta redemi?
Defuit hæc noxæ pœna suprema meæ

Nuper in æthereas posito mens corpore sedes
Ibat; at adverso est inde repulsa Deô.
Illa feros. quibus eluitur levis error, in ignes
Mittitur, ô quantum culpa, vel una nocet !
Heu; mihi jam videor cœlo tot abesse Novembres.
Quot tuus in Phariâ filius hæsit humo,
Stare putes adeò tardis it passibus hora:
Et trahitur lentis nóxque diésque rotis,
Deme mihi labem, flammæ quoq; pabula demes
Et nimis, ah longas in mea vota moras.
Forsitan audacter facio : Quis frenet amorem.
Quem Deus in nobis (sit licèt ultor) alit ?
Quis cœlum, Numenq; ferat patienter adēptum
Quis ferat ex ipso gaudia rapta sinu.
Emicat ùt pavidæ canis ad vestigia cervæ,
Et frustrà invitum vincula dura tenent :
Urque stat impatiens, neque jussas audit habenas,
Acer ab Eleo carcere missus eqvus;
Sic mea mens celeres meditatur in astra volatus,
Explicat & pennas altiùs igne suas.
Sed bene vix cœpit: cohibent incendia cursus,
Hæc mora plus pœnæ,quam dolor omnis habet.
Mater ades: flammis nam te dare jura loqvuntur)
Nec potes hoc damno dissimulare meo :
Ille ego sum, qui te colui. quem Sabbata quondã
Exiguâ pastum sustinuêre dape.
Ille ego sum. qui te cecini : quem sacra solebas
Inter Amatores musa referre tuos.
Flecte precor, Natũ: dic, ut miserescat, & in me
Mansuetas habeat mitior ille manus.
Dic age, lustrali tandem me liberet igne :
Subsidij, dicam, causa MARIA fuit.

ELE-

ELEGIA VII.

Ad B. V. MARIAM pro felici morte impetranda.

VNius alma Parens animæ miserere, perennis
Mors mihi de cujus morte, salute salus.
Hoc ego dum mecum: curas mens inter & æstus,
Quid modò? quid nobis denique fiet? ait.
Si portum vix una subit, de mille, carina,
Et sæpe infidas anchora culpat aquas:
Si quibus aptabat votivas nauta coronas s
Fracta vides serò carbasa, fracta tamen:
Ah! scio, quàm fragili vehitur mea vita phaselo,
Quàmque salus dubijs fluctuat acta Notis.
Styx, & opes, & amor, junctis me viribus urgent.
Impetitur ventis heu ratis una tribus.
Prima metus hæc causa movet; quos aggerat heu mors!
Fortè noverca mihi, fortè futura parens.
Judicis accedunt sub duro actore tabellæ,
Quas de me austeras fors gravis urna feret.]
Hei mihi! fatalem mundo denuntiat horam
Buccina: venturo torqueor ipse metu.
Quò feror? an pavidi repetunt sua corpora manes,
Triste sepulchretum tota videtur humus,
Christus adest: micuêre poli: Crux àëre pendet:
Scena vocat cunctos ultima: Christus adest.
Me miserum! spes nulla super, fiducia justos
Pœnè fugit, causæ Virgo clientis ades,
Non ego judicium (quis me subducat ab illo?)
Deprecor: at trepidum me mea causa facit.

Fac modò ne damnet; da possim eradere vitæ
Crimina, da fausto claudere fine dies.
Spero equidem, fragiles animus cùm deferet artus,
Sentiet optatam, quam modò poscit, opem.
Opportuna feres trepidis solatia rebus.
Et cadet imperiô cura pavórque tuo:
Tunc ego totus amor, totus tunc lacryma; dũ me.
Mors ad supremum falce tribunal aget.
Audio: Justitiæ Clementia juncta sorori,
Hospitibus faustos dâtve negátve lares.
Excutit; & palmas, si qui meruêre, reportant.
Excutit, & pœnas, si meruêre, ferunt.
At qui, Diva, tuo vixit devotus amori,
Lucida securâ tendit in astra viâ.
Donec ero, tuus ille meos amor occupet annos,
Mors sit, & interitûs te penes hora mei.

ELEGIA VIII.

Votum B. V. MARIÆ, dum Parthenici Sodales ad Poëtarum lectionem accinguntur.

DIva, virum canimus (sit fas ô Diva) veneno
Quem docuit blandas perdere livor apes.
Ille thymo, lætumque rosis possedit Hymettum
Et circum culti jugera multa soli.
Pauper Aristæus formoso divitis horto
Non procul absentes fortè colebat apes
Ite bonæ, dixit, primùm rorantibus astris:
Hybla suas vobis proxima servat opes.
Manè ruunt, aptisque favis, melliqùe parando
Carpitur à cunctis per nemus omne liquor.
Non tulit id livor tacito quod corde premebat,
Explicat ingenio deteriore nefas.

Inficit, heu! cunctas succis lethalibus herbas?
Et bibit affusam flos hic & ille luem.
Puniceis aurora rotis de more rubebat,
Totaque cœlesti rore madebat humus
Melliger ergo fremens densis exercitus alis
Irruit in saltus, quâ data porta suos
Dum thyma juncta rosis, cytisósque & lilia libat;
Pestiferas gustu judice sensit aquas.
Serpit in insontes virus ferale volucres;
Unáque non uno vulnere plaga furit.
Expertura novos alibi feliciùs hortos.
Urget apis pennâ deficiente fugam.
Emicat hæc sursum, vitamque relinquit in auras
Hæc per fatalem languida repit humum.
Altera fortuitum reperit sub fronde sepulchrum:
Altera tabifico pendet adusta gelu,
Ista tuos, Virgo, signant alveâria cœtus:
Nam quot ibi Socij, tot numerantur apes.
Hi per & areolas, & vatum prata vagantur;
Mors ubi sub florum messe venena tegit.
Invidus iste dolo facilem qui cepis Adamum,
Altera jam dulci prælia fraude parat.
Virgineis inspersit atrox aconita Camœnis,
Nequitiæque suæ noluit esse rudes.
Pagina dum teneros molli pede cantat amores;
Quæ nullum infecit, pagina rara fuit.
Hei mihi! quis lecto durus Nalone recessit?
Exilio dignum est, ùt fuit auctor, opus.
Ille vel iste suo formosus in ordine versus,
Ille vel ille notâ de meliore lepos;
Allicit incautam mentitâ fraude Juventam.
Hæc fera virgineus nec videt arma pudor.
Nam juvat è blando decerpere carmine flores,
Attica Musa tuos, Musa Latina tuos.

Intereà castam populantur toxica mentem:
Intereà cæcus pectora versat amor.
Vidimus invictos quandoque libidinis hostes
Mollibus, heu! numeris carminibúsque rapi.
Vidimus ingenuos, lecto quos Vate, puderet.
Scripta pudicitiæ posthabuisse suæ.
Vidimus Idalio propè tot data colla Tyranno,
Quot tenuit cupidas Musa jocosa manus.
Parthenicæ illæso subeant Helicona volatu,
Et redeant salvæ, te duce, Mater apes.
Seu quia virginei coleris tutela pudoris;
Seu quia sunt curæ pars quota cunque tuæ.
Sentiat & stygiæ per te vafer incola sedis,
Toxica successus non habuisse suos.
Viribus, & solito sua tela carere veneno,
Cypride cum mœstâ collacrymetur Amor.
Auguror; & nostri linguis exculta duabus
In laudes fundet mella Juventa tuas,
Ille pudicitiæ salvum te vindice florem;
Ille datam grato carmine dicet opem.
Nec deerit, qui se teneros impune pöëtas
Asseret auspicijs evoluisse tuis.
Audivit mea vota Parens. Innoxia plenæ
Crura thymo cellas ingrediuntur apes.

ELEGIA IX.

B. V. MARIA de vitæ statu consulenda.

MArs ubi militibus belli dat signa propinqui,
Arma tenent; frenis impediuntur equi.
Auspice Neptuno fragilem, Palinure, carinam
Scandis, & adversas vincis inermis aquas.

Audi-

Audiat Hippolytus, cervis ubi retia tendat:
Imus, ait, cœptis Delia plaude meis,
Nec labor agricolam tertet, si findere rastro,
Solibus hibernis imperet arva Ceres.
Virgine nil auctore time: regit illa clientes,
Quos vaga non certo limite vita tenet.
Non tamẽ est studium cuivis, eadémq; voluntas
Elige, cui, dicas: Hæc mihi vita placet.
Sunt, quibus est cœlebs illæsáque moribus ætas:
Sunt, quibus arrident Pallas, & æqua Themis.
Invenies, quos urit honor, quos ducit hiantes
Purpura, quos Regum splendor, & aula rapit.
Ille nihil belli putat artibus esse secundum:
Utilius medicâ nil putat alter ope.
Fortè pater dicet: Debes mihi nate nepotem,
Qui blæsâ canum voce salutet avum.
Ure faces; invitat Hymen; flos exigit ævi,
Et mea quæ dudum fata morantur, opes.
Viderit ista parens. Aliò fors vertere cursus
Astra jubent, genio nata favere tuo.
Mons latet, à rerum strepitu turbisque remotus:
Dat pietas nomen religiosa loco:
Nulla Venus castos illic infestat Amantes:
Hinc aurum, hinc Siren altera fugit honos.
Forsitan huc venies. Tibi sic indulgeat æther:
Sic tibi sint fausti, sint sine labe dies,
Quidquid id est, Dominæ faciles inquire per aras
Quique tenor vitæ, quæque sequenda via est
Aspice, dic, primæ sub tempora, Virgo, juventæ,
Quo meus in bivio detineatur amor,
Semita suspensam vocat altera & altera mentem,
Altera tota, vepres; altera tota, rosæ,
Quò ferar, unde petam trepidis oracula votis?
Tu mihi consilium, tu mihi numen ades

Scis,

Scis, mea quo vento, quo debeat æquore ferri,
  Scis, mea quo portu ſuſcipienda ratis.
Ah! vereor, ne forte vagis in fluctibus errem,
  Quamque dabit, portus fallat & unda fidem,
Si tua non fruſtrà ſertis altaria cinxi,
  Si tua non vanam gratia ſpondet opem.
Pande precor nobis, quo tramite, Mater, eundum,
  Noſtra ſalus iſtâ ſtatque caditque viâ.

ELEGIA X.

Peregrinationes Sacræ.

MAjus adeſt, menſis quo non formoſior alter:
  Veris honos, Floræ gaudia, Majus adeſt,
Et cœli facies, & te nitor allicit agri,
  Et mitis faciles provocat aura pedes.
I, quò te Zephyrus, quo ducit cantibus ales;
  Nec malus abrumpat picus & anguis iter.
Nolo ego te terras alio ſub ſole jacentes,
  Nolo ego te longas Tethyos ire vias?
Viſe tuos (quid enim voveam tibi majus) amores.
  Et loca, quæ Dominæ ſacra feruntur, adi.
Siſtere Laureti, quo nil prius, Itale templo:
  Siſtere Serrati vertice montis Iber.
France ſubi felix, & tu Germane, ſacellis.
  Quæ mea pro cœlo Diva minore colit.
Te quoque Virgineas quæ ſint (ſua pagina dicet)
  Belga, ſalutatum cōvenit ire fores.
Nec vos Sauromatæ, nec te labor, Hungare frangat:
  Mollit iter pietas, & Marianus amor.

ELEGIA XI.

De B. VIRGINE LAURETANA.

Cum mea musa pium peregrè deducat Amantê
 Pandere pauca meo carmine templa juvat,
Templa quibus Regina suum præsentius afflat
 Numen, & aspectu lucidiore favet.
Lauretana domus, magnæ incunabula Matris,
 Jure suas primùm dicere mandat opes.
Dum pede res Asiæ cursum tenuêre secundo;
 Cella Palæstinis substitit illa jugis.
Polluit at postquam Pharius loca sancta Tyrannus,
 Triuit & immundo limina casta pede;
Sistitur Angelicis ablata per aëra pennis,
 Montis in Illyrici vertice sancta domus.
Pro merito tunc culta fuit, dum temperat æstus,
 Adriacásque suo numine frenat aquas.
Sed brevis hæc statio. Quarto num vecta Decembri est
 In Lauretanum cella beata nemus.
Mira fides! sacris pia sedibus arbor honorem
 Dicitur inflexis exhibuisse comis.
Prodigijs clarere locus: concurrere passim
 Italus: & donis cœperat ara coli:
En ferus insidijs latro grassatur; inermes
 Opprimit, occultis cædibus horret iter.
Inde pedem Regina moves, & colle propinquo
 Tecta locas: tectis multus habetur honos.
De stipe, quæ sacræ cessit custodibus Ædis,
 (Hæc retulit pietas præmia, rixa fuit,
Ergo tuos mandas aliò migrare penates:
 Inque novi rursum culmine montis ades.

Hæc ubi Picenus; nunc, nunc, ait, optime ciuis,
Materiem, quâ sis religiosus, habes.
Invenienda via est, quâ nullo crimine posthac
Evolet è nostro gaza beata sinu.
Exul avarities istò procul aëre cedat:
Virgo parens, litis semina damnat opes.
Dixit. Ad eximios tulerat jam fama favores,
Quâ rate trita via est, quâ via trita rotâ.
Lauretum toto concurritur orbe: MARIÆ
Natales gestit visere quisque lares.
Janua sancta refer, quot te coluêre clienses;
Oscula quot posti, quot data serta tuo?
Suspensas tenuit quot primo in limine plantas
Ex adytis spirans horror & aura tuis:
Illê genu supplex augusta per atria reptat;
Hujus & à lacrymis, sicut ab imbre, madent.
Atque aliquis cupido dum per loca singula visu
Fertur, & hinc oculos pascit, & inde suos:
Hîc secuit Joseph, hîc ligna dolavit JESUS:
Illo Mater, ait, vagijt orta loco.
Hîc dixit Gabriel: illic assensa MARIA est.
Hîc focus, hîc mensæ proxima sponda fuit.
Aspice, flaventes qui tor duravit aristas.
Nullo læsus adhuc vulnere murus hiat
Hæc digito designat & hæc: dein aspicit aram,
Quâ super effigies cedrina Matris erat.
Et modò virgineæ miratur frontis honorem;
Et modó sidereas lumen utrumque faces.
Quótque micat gemmis, tot fert præeonla vertex:
Totque oculos ad se pulchra corona rapir.
Sed juvat attonitos & frons & vultùs JESU,
Qui velut in dextrâ, gemma, Parentis erat.
Magna quidē, fateor, sunt hæc miracula: verùm
Ars simul & pietas æmula junxit opem.

Ne

Ne quid ab hoste domus, ne quid pateretur ab ævo
Jussa fuit circùm marmore tota tegi.
Surgit opus, solidúsque suo stat marmore murus:
Ipsáque, quis credat? marmora sensus habet.
Ut sua parietibus remaneret forma uetustis:
Sponte suâ cessit non procul inde lapis,
Cessit & illæsâ murus compage revinctus
Addidit ad sacras altesa valla fores.
Obruimur, plenis si tanta per æquora velis.
Ingenij tentet cymba volare mei.
Vestra fides, Superi, si quod divina potestas
In terris unquam grandius egit opus.
Illic prima sui fecit compendia Numen;
Et mater salvo, Virgo, pudore fuit.
Illic cuncta suos laxant miracula fontes,
Et medicas sentit quilibet æger aquas.
Quid facient morbi, si mors sibi fracta queratur
Spicula, si viduas falce minace manus?
Quid memorem cœcis accensa frequenter ocellis
Lumina? quid plantis vincla soluta suis?
Quid rediviva canam mutæ commercia linguæ,
Jámque voraturo carbasa salva mari:
Quid? quòd in obscuras acherontica monstra cavernas
Gloria Lauretæ dum memoratur, agi?
Robore quæ nequeunt alij, non artibus ullis
Vincere; parva suo nomine Cella potest.
Quæ non, Virgo, tuos custodia servat Amantes,
Cùm tua sit, cœlo præside, tuta domus?

ELEGIA XII.

De B. V. Montis-Acuti.

ASper ubi collis, qui non tamen asper Amanti est;
Incipe tu gratos ferre Brabante pedes.
Omnia prodigijs mirabere plena: sacelli
Sive videbis opus, sive videbis opes,
Æmula sideribus moles stellata refulget;
Nuper ubi tantùm quercus & herba fuit.
Hæc tua laus, nec prima tua est, Alberte MARIAM.
Tu gentilitiâ relligione colis.
Marmora tu muris, tu das altaribus aurum:
Tu das Virgineis regia serta comis.
Ditia quid gemmis auróque rigentia dicam
Sceptra? quid artifici pallia texta manu?
Hæc ubi sollicito percurreris omnia visu:
Altera quæ spectes dona, viator habes.
Invidiosa leges priscis miracula sæclis.
Quæ dabit historijs picta tabella suis.
Aspice non uno pendentes ordine ceras:
Muneris accepti pignora certa ferunt.
Aspice præcipiti fugientes agmine morbos,
Aspice devictæ plurima signa necis.
Ergo pedes te crede viæ; neu turpe putato:
Quod facit Austriades, hoc tibi turpe putes?
Hæc pedes augustâ cum Conjuge sæpe revisit
Limina: erant longæ tædia nulla viæ.
Mox Proceres, Alberte, tuos idem impulit ardor:
Gestijt exemplô quilibet ire Ducis.
Vidi ego Virgineas manibus pendere corollas:
Vidi ego Virgineâ sternere laude viam.

Jam

Jam didicit vocale nemus resonare MARIAM:
Jamque levi volucris gutture cantat, Ave.
Agnoscunt Zephyri cantus, & lene murmurant:
Plaudit & arboreis proxima silva comis.
Regnate ô Zephyri, ô sylvæ florete, piásque
Accipiat cunis mollibus arbor aves,
At tu Diva tuos facilis, precor, aspice Belgas;
Quæque fremunt, forti comprime bella manu.
Belgica, quæ medijs etiam servivit in armis,
Gratior accepto munere pacis erit.

ELEGIA XIII.

De Sacro Cereo ope B. V. MARIÆ Atticibutibus submisso.

ET sumus Arthesij non ultima cura MARIÆ,
Dum cœli vitio corpora languor habet.
Letifer, auxilijs non proficientibus, ignis
(Ut perhibent) nostros conficiebat aves;
Virgo parens tanto dignata occurrere morbo;
Exeruit dextræ robur & arma suæ.
Adstitit hæc mediâ citharœdis nocte duobus,
Rixa quibus cæli de nece fratris erat.
Ite, sacras Lambertus ubi moderatur habenas;
Ferte salutiferam quam damus, inquit, opem.
Proferet antidotum præsentibus utile morbis
Cereus: ille meo munere vester erit,
Hujus, jô! medicas lymphis infundite ceras
Certa salus potâ quemque sequetur aquâ,
Æthereo Normanne comes qui me auspice tecum
Junget amicitias, nec mora longa, novas:)
Carpe viã, promptúsque sacri te transfer ad ædes
Præsulis, & monitu detege visa meo.

Dixe-

Dixerat, & celeri nabat per sidera curru;
 Cùm pavet, inque preces alter & alrer abit.
Quis credat? post visa diu suspensa. MARIÆ
 Vix dedit imperijs lentus uterque manus,
Donec & ore minax ambos Regina revisit,
 Imperat & jussam præcipitare viam.
Sit veniæ locus & primæ sua gratia culpæ:
 At pœnam, dixit culpa secunda feret.
Parce minis, mora nulla, Parēs, accingimur ajunt
 Parent promissis: ingrediuntur iter.
Quæ sit causa viæ Lamberto denique pandunt.
 Visa placent; gemino stat sua teste fides.
Septima nox aderat. Placatis Præsul amicis
 Additur, & socias jungit in Æde preces
Ocyor interea promissam lucifer horam
 Devehit: affuso subrubet hora die,
Tres suus horror habet, subitam tres pectoi flammam,
 Tres lachrymis udas sustinuere genas.
Virgo propinquabat pallâ spectabilis albâ,
 Quaqua pedes movit, prævius ivit odor.
Pignus in augusta lucebat amabile dextra.
 Cereus, ætheree quem peperistis apes.
Tradidit hunc socijs, Lamberto adstante, duobu
 Muneris & tanti quid ferat usus, ait.
Mox abit, aspectúque suo frustratur hiantes,
 Suspensósque inter gaudia tanta viros.
Nullus Ave dixit; nec præ novitare licebat,
 Hinc donum, hinc dantis præpediebat amor.
Vox ubi nacta viam, lacrymis Antistes obortis,
 Virginis in laudes, quà tulit ardor, ijt.
Hanc canit afflictæ facilem succurrere genti:
 Hanc deploratis promere rebus opem.

Accī-

Accinit Itherius tecum Normanne, peritus
Vocis, uti citharæ plectra movere suæ.
Altera jam grates; & longior hora tulisset;
(Quid minus offerri post bona tanta potest?)
Sed jam tempus erat mœstas lustrare catervas,
Corporaque occultâ febris adusta lue.
Protinus expressas e cera virgine guttas.
Lambertus liquidis mergere cœpit aquis.
Muneris in partem Citharœdus uterque vocatur;
Hos labor, & posthac ille manebit honos.
Plurima propter aquas ægrorum examina sidunt
Hos amor, & vitæ spes quoque blanda facit.
Pro se quisque bibit, potámque ê Vase salutem
Excipit. Hoc pretium credulitatis habet.
Quisque sibi reduces omni procul ulcere vires,
Virginis & medicas prædicat esse manus.
Atque aliquis tantæ spectans miracula lymphæ,
Quæ tulit huc miram vis nova, dixit, opem:
Plus mihi vina placent: & vina rogabat amarus
Irrisor, stygias jam bibiturus aquas,
Ultor Virgineum ceu vindicet ignis honorem,
Impia præcipiti viscera peste vorat.
Sævit, & exusto scelerâtam corpore linguam
Proijcit in piceos, infera stagna, lacus.
Prodigij pars una fuit: pars altera restat,
Arthesij, versu non reticenda meo.
Religiosa sacram metuit depascere ceram
Flamma, nec huc tantas usque momordit opes.
Nam licèt ex stillis alias candela profundat,
Parte sui nullâ deficiente perit.
Quo lux more solet similem producere lucem,
Et fons perpetuas fundere jugis aquas.
Nota loquor Belgis: abeas, miracula quisquis
Despicis: aut Belgis, quisquis es, adde fidem.

Cereus hic magnæ didicit servire Parenti,
Obsequium cerâ perpetuante suum:
Inde quidem felix. Felicior ille, MARIÆ
Qui monitis semper Cereus esse velit.

ELEGIA XIV.

De B. Virgine à Sabulo, quæ Bruxellæ anno 1348. coli cœpta est.

HUc quod ab Anversâ, Mater, deflexeris urbe,
Exiguo statuam lintre vehente tuam:
Hoc numerat magnos inter Bruxella favores.
Eque tuo certam pignore sperat opem.
Sperat, & accessu nil non miratur in illo,
Quo tuus immeritam sponte beavit amor.
Forte decor statuæ tacitis defluxerat annis:
Læserat & vultus aura sitúsque tuos.
Altera sufficitur: novitas accendit amorem:
Hîc amor, hic pietas, hîc nova vota calent.
Jámque vetus passim neglecta jacebat imago:
Quod bona non æquâ femina mente tulit.
Abripit, abreptamque pio commendat Apelli:
Admovet artifices protinus ille manus.
Forma prior rediit, primi rediêre colores,
Ars quoque materiam est vincere visa suam.
Redditur ergo sacræ longè formosior Ædi,
Altáque conspicuo fulget imago loco.
Dum licet, hac gaude felix Antuerpia: paucis
Hæc tua luciferis (non ego fallor) erit.
Vim frustrà inijcies. Aliò migrare paratam
Virginis admonitu femina docta canit.
Nulla mora est: ventis statuam cōmittit & undis,
Scaldi pater tantæ dirige navis iter.

Audi-

Audior: illa volat Zephyrique faventibus alis
Per medias facili numine fertur aquas.
Officio funguntur aves: noviſſe putares,
Quid ſibi commiſſum ferret onuſta ratis:
Vela ruunt circum: tendunt umbracula pennis:
Inflectunt cantu roſtra canora ſuo.
Pars grãdes numeros; pars exprimit ore minores,
Pars tenero medios temperat ore ſonos.
Movit aquas cantus Facto velut agmine piſces
Protinus ẽ ſummis emicuère vadis.
Pro ſe quiſque parat ſquãmas agitare ſonoras,
Ut dum voce nequit, plauſibus æquet aves,
Interea, Bruxella, tuis feliciter oris
Appulit, exili vecta MARIA rate.
O bene! quòd toties effunderis obvia portis,
O bene! quòd nitidis it Sacra pompa vijs.
Ipſe humeris Princeps, non eſt labor iſte pudori)
Principe cum gnato nobile geſtat onus.
Quàm bona, Dux exẽplâ moves! ſervire MARIÆ
Diſcet ab exemplo Belgica tota tuo.
Cernis ut ingreditur læto Sabulonia vultu
Limina non illo Diva movenda loco?
Cernis ut ampla ſuas reſupinant atria valvas,
Et Dominæ gratos explicat ara ſinus
Mater arenoſam, quâ poneris, incole ſedem:
Altera ſit Belgis hæc, precor, aula tuis.

ELEGIA XV.

De B. Virgine Eſquermenſi ad Inſulam.

MIrus ineſt ovibus ſenſus pietatis; & agnis;
Atque latens aliquid corpore majus habent.

Si dubitàs, Esquerma suo te rure moretur:
 Efficiet certam res ubi gesta fidem.
Hic rubus, & medijs rosa ceu pulcherrima spinis,
 Virginis affigies insita Matris erat.
Huc de more gregem pastor numerosus agebat:
 Causa fuit Virgo, prætereàque nihil.
Sidera cùm primo vesper depingeret auro,
 Et caderet summis densior umbra jugis:
Hoc erat ut fama est, pecorum commune magistris
 Ante rubum prono fundere vota genu.
Vota quibus Divam multum salvere jubebant:
 Vota quibus pecori gràta faveret humus.
Alfgeri, quibus una fuit custodia ruris,
 Ut reor, indoctas erudijstis oves,
Dum Corydó nova serta rubo nova figit Amyntas,
 Angelicúmque, genu supplice, dicit Aue;
En pecudes exempla movent Quis crederet agnos,
 Et sacræ cupidas religionis oves?
Ingeniosa pecus jam dicere docta salutem,
 Indocilique priùs poplite tangit humum.
Vidit id opilio, Quid enim non ille videret:
 Cujus in aspectu grèxque rubusque fuit?
Dum pietatis opus, dúmque hæc spectacula cernit?
 Desijt hoc certe rusticus esse loco.
Prodigium, clamat, pietas non visa: MARIAM
 En pecus inflexo est devenerata genu,
Hîc nullus teneros oculus qui fàscinet agnos.
 Non fera, quæ magico carmine sævit, anus,
Numen inest monstris. sed non leve numèn, in illis;
 Prodigium nobis ómne MARIA facit.
Dixerat: Exultim pecudes (audisse putares)
 Ante vepres curvum ter posuêre genu.
Ter quoque balatu sacrum mulsêre rubetum:
 Læta ter accepto murmure risit humus.

Au-

Audijt hæc Princeps, qui Flandrica frena regebat.
Et subijt plenum relligionis agrum
Audijt, & monstris posuit pro talibus Ædem,
Qua rubus humatis ibat in astra comis.
Una, pius grex, causa fuit, fuit altera sanguis
Virgineâ cursum sistere jussus ope.
Ille fluens sanguis, qui te Baldvine tot annos
Hauserat, & medicæ luserat artis opem.
Religiosa tuæ tunc conscia fama salutis,
Huc cum vicinis oppida duxit agris.
Altera pars agnos, multam pars altera ceram,
Tertia pars alias suppeditavit opes.
Nec mora prima sui fructum tulit Insúla voti:
Insula virgineo numine digna tegi.
Tunc Esquermensi sua reddere vota Sacello
Dulcis erat Belgis & violentus amor.
Et fuit, ad sacram lætus qui tenderet Ædem,
Hoste per assuetas insidiante vias.
Ivit; Et ô! caro comes addita Virgo clienti
Semper idem tuto tramite fecit iter.
Vera canam, licèt ipse frequens concederet illuc;
Pervigili numquam visus ab hoste fuit.
Sola videbatur niueo propè rustica cultu
Femina consueto calle frequenter agi.
Femina Virgo fuit, fidum quæ texit Amantem,
Eripuitque oculis, hostis inique, tuis.
Plura dedit pagus, quem tot cœlestibus auctum
Insula prodigijsofficiosa colit.
Illic pace bonâ discordia pectora nectit
Conciliatricis nomine nosa Parens,
Vidimus armatos in mutua fata, sequestrâ
Virgine, pacificas sæpe dedisse manus,
Vidimus & causas, incertàque jura, Patronâ
Virgine, Causidico nil eguisse suo.

Vidimus & lites, diuturnaque bella, vocatâ
Virgine, sæuitiem depoſuiſſe ſuam.
Eſquermenſis adi, moneo, non dura Sacelli
Limina' qui morbis exigis æger opem.
Corporis è quovis ſalvus diſcrimine dices,
Aut hoc, aut nullo degit Hygia loco.
Non opus amiſſam revoes Præcone crumenam
Excidit incauto quæ malè lapſa ſinu :
Huc ades, argentumque viâ diſquire remensâ ?
Invenies illo, quo fuit antè, loco
Non opus incertis revoces tua vela tabellis :
Sidat, in ignota ſeu ratis errat aqua :
Huc ades & facili merces committe MARIÆ,
In portum dubiam diriget illa ratem.
Admiranda parens, quàm te reverenter habebit,
Quique tuos agnos, quique ſequetur oves.
Si tua forma capit pecudes ratione carentés;
Nil hominis; qui te non veneransur, habent.

ELEGIA XVI.

De B. Virgine Foyensi.

CUr te prætercam Romanæ filia Sedis
Legia, Virgineæ fama perennis Heræ:
Ille tuæ ſedes & relligionis ocellus,
Matris & auguſtæ regia Foyus ager:
Facta ſuæ miranda jubet cantare patronæ,
Orbem quæ meritis circumiêre ſuis
Quercus opaca, ingens, urbi vicina Dinanto
Cortice cœleſtes fortè tegebat opes.
Neſcijt hoc aliquis; ferrum molitùr in illam:
Sternit humi, validam texat ut inde ratem.
Quid facis ah demens! latet abdita navis in illo
Robore, quæ cunctis una miniſtret opem.

En

En subter quernam comparet imago medullam,
Dædaleæ scalprô non imitanda manûs.
Virgo parens dextra puerum gestabat IESUM,
Fictilis, & signi forma pedalis erat.
Vestis obit corpus diffuso prodiga cultu,
Et cohibent passas regia serta comas,
Quæritis excisa quid forsitan arbore factum?
Visa fuit damnis pulchrior esse suis,
Mille abit in partes, in segmina mille, tot olim
Antidoto morbos edomitura suo
Prodigijs fœcunda magis, quam frōdibus arbor:
Tot prope, quot fingas, usibus apta venit.
Si quis ad hanc vertit longis damnata tenebris
Lumina; luminibus sólque diésque redit.
Non ego, Virgo, datas à te mihi mentiar aures,
Alter ait, surda qui priùs aure fuit.
Ille gelu, vitiòque pedum malè captus inerti,
Explicat incessu liberiore pedes
Hi, quibus infelix lapso membrana laborat
Viscere, speratâ restituuntur ope.
His, quos inflat iners albenti corpore languor,
Detumuit pulsâ venter inanis aquâ.
Cætera quid memorem: vim fatis intulit arbos;
Fregit & invitæ ferrea jura necis.
Quæque arbos potuit, nitidi potuêre lapilli,
Qui fusi circum limina sacra jacent.
Ille colore rosas, coccum, anteit ille coralli:
Hic candore nives provocat, alter ebur.
Iste novum viridi mentitur luce smaragdum:
Mentitur violas iste, hyacinte, tuas.
Est, qui chrysolithi sibi vendicet æmulus aurum:
Est, qui sidereas exprimat igne faces.
Candet in his adamas, plorat crystallus in illis:
Hîc amethyste tua est purpura; pallor, onyx.

Quam

Quàm color his variat tā vis diversa medēdi est,
Virgine quæ tribui nonnisi dante potest.
Iste, dolore ferus quem calculus ussit acerbo,
Expertus vires Foye lapille tuas,
Dixit: in exiguo quæ vis inserta lapillo?
Hanc habet abs medica Virginis ille manu.
Unus & Eöos delatus, & alter, ad Indos;
Quā nova; tā morbis certa medela fuit.
Ditibus invidiam fertur fecisse lapillis;
Inde sibi pretium dum perijsse dolent,
Nobile Virginei monimentum & pignus amoris
Ante oculos defer Legia grata tuos.
Donec Virgineæ vives devota Parenti
Filia, Romanæ filia Sedis eris,

ELEGIA XVII.

De imagine B. V. MARIÆ in nemore Illustriss: Ducis Arschotani, per Vallencenenses Soc: IESV *discipulos, intrà quercum anno 1625. Nonis Augusti collocatâ, quam &* Bonæ Spei Dominam *nuncuparunt.*

DUm vehit Augusti quintū lux annua solem,
Sit mihi in Arschotij fas Ducis ire nemus.
His abs parthenicis benè cœpta clientibus edā;
Vallencygnææ quæ canat urbis olor,
Virgo, tuos si quando licet cognoscere sensus,
Nôsse quid hîc velles visa Juventa fuit.
Hæc equidem audierat solers hortante Magistro,
Spargendus latè quam tuus esset honos.
Non decet angustis concludi mœnibus urbis;
Ulterius per nos, quâ licet, inquit, eat.

Est

Eſt mihî de Foyâ ſimulacrum fictile quercu;
Cui decus & pretium ſola MARIA facit.
Hoc ego Remæis tutelam ſaltibus addam.
Quercus erit votis non aliena meis
Quis ſcit, an hāc olim ſupplex Peregrinus adoret
Quis ſcit an hìc magnæ numina Matris erunt?
Dixerat? & felix tantis audacia cœptis
Adfuit, & mirum promere juſſit opus,
It Mariana phalanx armis inſtructa, ſed illis,
Quæ ſibi virgineus ſuppeditârat honos.
In nemus ingreditur; dúmq, huc veſtigat & illuc
Quæ loca, quæ votis ſuggerat arbor opem;
Commoda viſa fuit ſpatioſior area, cujus
Grandior in medio conſita quercus erat.
Hic locus, ingeminat, noſtro locus aptus amori,
Hâc Dominæ ſedes gratior eſſe nequit.
Expedit arma, quibus figatur in arbore ſignum:
In promptu clavi, malleus, uncus erant.
Aſcenſum facilem quercus procera negabat,
Quò tamen impatiens ire parabat amor.
Invida quid noſtris obſtas conatibus arbor?
obuia quin ultrò brachia flectis? ait.
Ingeniô ſupplere decet; teſtudinis inſtar
Supponunt humeros æmula turba ſuos.
Dulce putatur onus. Quid enim leve non ſit Amanti,
Dilectæ quoties Virginis urget opus:
Excavat ille rudem ſecto ſub cortice truncum:
Hic ſpatio Divam conveniente locat.
Alter compoſitamq́ clavis defigit & unco:
Hic ſparſo circùm flore decenter obit.
Hæc ubi: conſilio & ſtudijs communibus actum,
Nomine quo tandem Diva vocanda foret.

Singula dum pensant Augustæ nomina Matris;
(Non uno solùm nomine digna fuit)
Protinus è nostris nonnemo Sodalibus, illic
Qui lætus tantum forte videbat opus:
Cùm pia Mater, ait, vestris spem præbeat ausis?
Jure SPEI DOMINAM jure vocate BONÆ.
Virgo, SPEI DOMINAM sine te, dixère; vocarit
Támque bonum per nos nomen habere velis.
Relligiosa pijs applaudit vocibus echo:
Reddit & acceptos térque quatérque sonos.
Protinus è venis silicum pars semina flammæ
Excudit; accensas pars tulit inde faces.
Plurimus ante novam collucet cereus aram;
Promuntur flexo plurima vota genu.
Ramorum pulchro distinguitur ordine scena,
Ponendæ indicium quæ rude sedis erat.
Quid memorem querno libata suavia ligno,
Flexàque per varios musica verba modas.
Fecit ubi finem vocum concordia discors
Hæc nemus obsequij verba suprema tulit:
Hospitio magnæ posthac celebranda MARIÆ,
Nos tibi devinctos aurea quercus habe.
Quisq; quot hebdomadis ad te properabit Amator,
Induita ut musis otia nactus erit.
Acris hiems ventis, Titan desæviat æstu:
Nec statuet plantis iste, nec illa moras.
Forsan & exemplo quondam vicinia nostro,
Quæque procul nobis ora remota jacet;
Huc veniet dubijs quæsitum oracula rebus,
Et feret ad patrios nuntia certa lares.
Forsan & hunc portenta locum divina probabunt
Surget & hîc templo nobilis ara suo.
Nec juvenes votum, nec spem pia Virgo fefellit:
Prodigijs sacer est, & pietate locus.

AN-

ANTONII DESLIONS
è SOCIETATE IESU
DE CVLTV B. V. MARIÆ ELEGIARVM LIBER TERTIVS.

ELEGIA I.

De Parthenici Sodalis nomine ſibi gratulatur

QUæritis, unde meis ſuccedant omnia votis.
Et ſua vix capiat gaudia noſter amor ?
Hoc neque fœcundis faciunt convivia menſis :
Hoc neque convictus dulcia membra mei.
Hoc neque honor titulis, neque murmure fama ſecundo :
Hoc neque Pieriâ Muſa canora lyrâ.
Odimus & famæ ſtrepitum, plauſúſque theatri:
Odimus & calices, Bacche diſerte, tuos
Cauſa mea eſt melior; vati facit otia Virgo:
Libera triſtitiâ gens Mariana ſumus.
Hic nullus pallescit Amans, è fonte perenni
Lætitiæ puras quilibet haurit aquas.

Hæc tamen ante alias, quam molior indice versu
Panderæ, lætitia est summa capútque meæ.
Additâ Parthenicis sunt plurima nomina fastis,
In quibus immeritum me quoque scripsit amor.
Nomen ubi nostrum est, Antonius additur, & quo
Ediderim felix candida vota die.
Ite, nec invideo, victuris nomina chartis,
Tradite, quos laudis non levis ardor agit.
Cudite de rutilis spirantia signa metallis,
Et vetus intonsos cera loquatur avos.
Quid nisi fama brevis curis acquiritur istis;
Quam mors aut tacito tempora dente terunt.
Utque nihil fati, nec temporis ira minetur
Perque suos titulos fama superstes eat:
Quò tibi tantus honos, si sis incognitus astris:
Hei mihi! non tanti nomen habere fuit,
Non ita, si qua fides nostro de nomine fiet;
Virginis in tabulis, ut reor, illud erit,
Ipse legar felix, superísque Sodalibus addar,
Hos inter cùm me ponere Diva volet.
Eventura mihi, quæ sors obvenit Amanti,
Quem fovit gremio docta Dilinga suo.
Scilicet hic vidit, vel se vidisse putavit,
Dum moritur, cœlo prosiliisse jubar.
Virgo erat, augustâ Divûm quæ septa coronâ,
Optatam famulo ferre parabat opem.
Agnoscit Dominam: mox supplex oscula lævæ
Porrigit: in dextra namque tabella fuit.
Charta notata cedro, minióq; inscripta ferebat
Nomina sic oculis legerat illê suis.
Legerat. & numero sese conspexit in illo,
Qui rata non dubiæ signa salutis habet.
Vix potuit visâ Juvenis spirare tabella:
Vix potuit viso nomine pauca loqui,

Risit,

Risit, & illecebris jacuit cœlestibus impar,
Et sensim vitæ stamina rupit amor.
Vivite, virgineo qui vestra dedistis amori
Nomina: vos mediâ gaudia morte manent.

ELEGIA II.
Ad JESVM, pro B. V. MARIA sibi in matrem concessâ.

QUòd tua me placido nascentem lumine vidit,
Virgineóque Parens fovit amica sinu;
Gratia, Christe, tibi. Tanti tu muneris auctor.
Crederis; ex illo quot bona sorte fluunt:
In Cruce fixus eras, cernis cùm forte Sodalem,
Hærebar Matri qui comes usque tuæ.
Cernis, & hæredem ceris hunc scribis in imis?
Addis & extremo talia verba sono:
Hæc posthac tibi mater erit: matrique vicissim.
Incipe tu nostro filius esse loco.
O vox melle mihi, vox ô mihi dulcior Hyblâ!
O nunquam ex animo vox abolenda meo!
Quod tibi, Zebedidæ, genitrix obvenit JESU,
Gratulor; & nobis sit, precor illa parens.
Hunc ego non potui certè sperare favorem;
Anteijt votum gratia tanta meum.
Regia progenies, & Divæ cura vocamur,
Scilicet à Christo cura secunda sumus.
Spero equidem, nostram tutabitur illa salutem,
Et mentem monitis consilióque reget.
Hæc ubi contigerint, duri procul ite timores,
Quos animæ geminat cura salusque meæ.
Tunc mea processus ratis est habitura secundos,
Tunc meus optato tramite curret amor.

Hæc quoq; res aliquid tecum mihi fœderis affert:
Hæc quoque res carum me tibi Christe facit.
Ejusdem matris (jus hoc commune dedisti)
Filius, & propè jam sanguis uterque sumus?
Distat amor tecum, flammis licèt ardeat iisdem:
Ignis, amor tuus est: parva favilla, meus.
Insere virgineo nobis, in amore calores:
O ita Virgo parens, ô ità Christe velis!

ELEGIA III.

Renovandum quotannis Parthenici cultûs propositum exemplô Duacensium

SCarpiadas quæcumque meo de pectore musas
Sustulerit, vitæ summa sit ista dies.
Hîc Helicon; hîc & doctæ panduntur Athenæ,
Orchestramque aperit Græcia tota suam.
Hîc & quidquid habet cœli cortina, reclusum
Cernimus, & sacri júsque Piumque fori.
Quid moror herbarum vires, artésque medendi,
Dicere? quid leges, & tua sacra, Themi?
Non Themis aut Helicon, nec tot mihi nomina tanti:
Blandius hîc aliquid, quo capiamur, adest.
Dulce Sodalitium de nomine Virginis ortum:
Cujus ego quondam pars quotacumque fui)
Nescio quâ nostram cepit dulcedine mentem;
Cepit, & illecebris detinet usque suis.
Illic vita mea est, illic mihi carpitur ætas,
Et redit huc, alibi si meus hæsit amor.
Majus rore levi dum primas evocat herbas,
Vernaque purpureo vere renidet humus;
Cura labórque suos renovare Sodalibus ignes,
Ut cupiat vires, qui bene cœpit, amor

Feli-

Felices salvete animæ, devota MARIÆ
Pectora, Parthenici gloria magna chori.
Sit mihi vobiscum formosi in limine Maij,
Verba Sacramenti fas iterare mei
Ara nitet, lux festa vocat, succendite tœdas,
Dicite quæ sacræ formula legis habet
Diva fave, pactas in fœdera tangimus aras:
Atque ita sim felix, ut tibi fidus ero.
Aspice, quo cœlum vultu dignaris, amantem,
Alligat æternâ qui sua vota fide
Sceptra tua agnoscam: nil me deducet ab illis,
Vita licèt fuso danda cruore foret.
Si quis amicitiæ mecum contraxerit usum,
Sive mihi junctus sanguine, sive domo,
Hostis erit, si fortè tuo pugnabit honori:
Vincula nec noscam sanguinis ulla mei.
Sic mihi sint faciles cursúsque in amore secundi:
Sic mea felici remige navis eat.
Sic mihi te placidam, durâque in morte paternam
Efficiat nullo tempore læsa fides.
Postquam ita juratum est, sacris disceditur aris,
Fœderis & socias dat sibi quisque manus.
Perdite Parthenici flamma meliore Sodales,
Ignea quæ stygius tela Cupido jacit.
Dum prece vanus amans postes oppugnas & auro:
Ponit & ad surdas florida serta fores,
Figite Virgineo vernantia vota lacello;
Figite mansuram tempus in omne fidem.
Talibus irradiant Mariana palatia gemmis:
Sertaque Virgineus talia postis amat.

ELE-

ELEGIA IV.

Abſit inertia à cultu B. V. MARIÆ.

O Levitas! nunc ardet amans, nunc frigidus alget
Nunc tepet: hæ noſtro ſunt in amore vices.
Si ſapis, ignavum fuge ſacro in amore veternum,
Odit, & hunc Virgo criminis inſtar habet
Languit Hermannus tandem: flagraverat antè,
Primáque dilectæ cura Parentis erat
Torpor iners primo ſenſim ſubrepſit amori.
Et potuit Dominæ non meminiſſe ſuæ.
Dum fore cras melius ſpõdet; ſegniſque moratur,
Non tulit iſta ſibi verba MARIA dari.
Adfuit Hermanno canis aſperſa capillos.
Jamque anus, & rugis inficianda ſuis:
Quò tuus ille decor, dixit, quò forma receſſit?
Unde genas, Virgo, ruga ſenilis arat
Hos tuus inſcripſit ſulcos in fronte veternus,
Inquit, & exſangui duxit in ore notas.
Dum vigil, aſſiduùſque meas Hermanne per aras
Spargebas vernis lilia mixta roſis;
Dum te noſter amor, noſtri dum cura tenebat,
Inque tuo nullum pectore frigus erat;
Spectabas teneram florenti ætate puellam:
Sidera vincebat plurimus oris honos,
Jam quia dilectam paulatim abolere MARIAM
Incipis, & ſolitus pectore ceſſit amor;
Gratia prima mei per te defloruit oris
Polluit & vultus aſpera ruga meos.
Virginei, moneo, mala tædia vitet amoris,
Quiſquis in obſequio nolit habere notam.
Utile propoſitum veteres renovare calores.
Nec gelidum vitijs pectus habere ſuis

Ex

Est avis in terris, proprij quæ funeris augur,
Vitalem insolitâ fabricat arte pyram
Arboris hanc fragrantis opes, & plurima vallant,
Quæque Cilix, & quæ munera mittit Arabs.
Hæc ubi Mox busti superat fatale cacumen,
Solis & adversat excipit inde faces.
Liquitur hausta brevî Phœbeis hostia flammis,
Et cineres calcat pòst rediviva suos.
Tu, velut Assyrios renovans incendia nidos,
Fac, tuus igne novo sic reparetur amor.
Singula, fac, memori recolas data munera mente:
Omnibus ex illis grandis acervus erit.
Virgo tuæ curam suscepit amica salutis;
Cùm primævâ etiam labe notatus eras.
Virgo sui partes ultrò tibi scripsit amoris,
Cùm foret in puero vix puerilis amor.
Virgo tuis toties (longum est numerare) periclis
Excita: in hos redeas, dixit, alumne sinus.
Virgo tibi cœlo venturas sustulit iras,
Et rabida inferni contudit ora canis.
Plurima non memini, quæ te meminisse decebit,
Dum recoles animi munera mente tui.
Munera tot, ceu ligna tuo suppone veterno:
Et dic, desidiæ sit rogus iste meæ.
Donec in ardentem mutato versus Amantem
Pectore, dissimilis conspiciare tui.

ELEGIA V.

B. V. MARIÆ cum ingrato cliente expostulatio.

IMprobe, si nostru malè responsurus amori,
Et mihi nescio quam præpositurus eras;

Cur

Cur tua Parthenico coram promiſſa ſenatu,
Et formidando Numine vota dabas?
Ah miſer! etſi te nondum vindicta fatigat;
Sera ſolet claudo pœna venire gradu.
Ancipiti ſuſpenſa tenet Deus æthere tela,
Jam tibi prædico, nî ſapis ipſe, necem.
Tune meus? quem mollis amor, quem blanda voluptas,
Quem vaga præcipiti calle libido rapit:
Tempus ubi eſt, cùm ſola tuos ego flectere ſenſus
Dicerer, & flammas ſola fovere tuas?
Scilicet excidimus, totáque è mente fugatus
Excidit, in pretio qui fuit antè, pudor.
Ergo Sodalitij fruſtra deſcriptus in albo es;
Ergo Sacramentum ventus & aura tulit?
Hic erat; appoſitusquòd cúm mihi cereus arſit,
Lumina ſint triſti pæné ſepulta face.
Angeli cùm ſacro mandares pacta libello,
Debuerat calamum ſiſtere dextra ſuum.
Turpius expungis, quàm non admittis, inertem;
Tam citò qui demens terga daturus erat.
Atque utinam ſoli tantùm ſua pœna noceret,
Obrueretque unum tanta procella caput.
Hunc modò ſollicitat prædo violentus & illum,
Eque Sodalitio ſevocat ille meo.
Vita ſoluta placet, nullique obnoxia legi:
Quis ſibi quis prudens vincula nectat? ait.
Quid tantum merui: quæ te dementia vertit?
Cur tuus à nobis ſponte receſſit amor?
Nil ego commiſi, niſi ſi conceſſa clienti
Quamlibet ingrato munera crimen habent.
Incipe prætericos animo revocare favores:
Deficies, numero copia major erit.
Vix bene natus eras, cùm te velut altera mater
Suſcepi, vitæ fida magiſtra tuæ. Doti-

Dotibus ingenij bona corporis addita fovi:
Auspicijsque vigent utraque dona meis.
Sæpe tibi iratum procudit fulmina cœlum:
Sæpe fuêre meâ fulmina fracta manu.
Sæpe tibi clàm visa fuit mors tollere vitam;
Sed fuit auxilio vita retenta meo.
Omnia disjeci. Per me ftetit ira Tonantis:
Et sceleri per me gratia facta tuo est.
Finge age te summo positum in discrimine morbi;
Et tibi jam dictam funeris esse diem:
Quid tibi mentis erit, cùm te perjuria cingent,
Cúmque satellitio culpa timenda suo?
Ante tuos oculos quando feralis imago
Mortis, & infernæ stagna paludis erunt?
Tunc demum disces, quid sit sprevisse MARIÆ
Numen, & è castris sic abijsse meis.
Pluribus abstineo. Te mors, te flamma perennis,
Te moveat judex, judicijque rigor?
Usque adeòne leve est flammaque geluque peruri?
Hæc te perpetuo pœna ferenda manet.
Ah! refer in melius mentē, culpámque retracta.
Nunquam sera bonis moribus hora fuit.
His ego te manibus, teque his miseratæ lacertis
Amplectar, gremio suscipiamque meo.
Accipiam reducem: nec me temeraria tanget
Lingua, nec abrupto fœdere læsa fides.
Si qua fuit nobis illata injuria, dono.
Solus amor tanti criminis ultor erit.

ELEGIA VI.

Desertæ B. Virginis MARIÆ Clientem pœnitet.

FLebilis, & sævis subductus fluctibus, in quos
Me mala libertas, culpáque cæca tulit!

Ad te vix salvâ, tu scis hoc Diva, carinâ,
Et feror in portus, si finis ipsa, suos
Nec frustra: excipies. Non unus forsan amator
Incipiet nostro cautior esse malo.
Ipse ego, qui qnondam fidus tua castra sequebar,
Arguor illa levi deseruisse fide,
Quò miserum primi rapuêre Cupidinis ignes?
Quô jocus, & vitæ liberioris amor?
Castus eram, memini, castis adjunctus alumnis,
Norma Sodalitij quos regit una tui
Hîc ego Sacramenta volens solemnia dixi:
Cerea fax pacti testis, & ara fuit
Fœdus, & ipsa dies memori mandata libello est;
Indicat & nomen littera scripta meum.
Inde referre gradum nimium temeraria suasit
Libertas, animi prima ruina mei.
Janua, quæ castos servas Mariana Clientes,
Debueras nostros impedijsse pedes
Debueras sacros mors circumcingere postes,
Atque iter; aut vitæ rumpere fila meæ.
Tunc potui sine labe mori, nam quidquid ab isto
Tempore transactum est, crimen & error habet.
Sponte sequor, quocunque rapit malesuada voluptas.
Heu! mea quò duxit vela; charybdis erat.
Hæsissémque diu scopulos allisus ad illos,
Ni mea mens cœli mota fuisset ope.
Illa (quod est rarum) scelerum perculsa timore,
Ante oculos posuit dira pericla meos
Protinus asserui mihi me, effugique Dionem:
Et subij templi limina, Virgo, tui.
Tu modò dum timidis adsis non aspera votis;
Non sum qui pœnas deprecer ipse meas.
Sive piare jubes longo perjuria fletu;
Perpetuas oculis sufficiemus aquas. Sive

Sive piare jubes positâ perjuris vitâ;
Prodiga quæque sui vena cruoris erit,
Tu, precor, os durum freno compesce vel igni:
Vinclaque in infidos, tu, precor, adde pedes.
Quot tibi surripui socios in amore fideles;
Tot reus, & tantis testibus unus agor:
Gratus erit, quocunque voles me claudere carcere
Si modò me dignum carcere, Mater habes.
Tolle, quod invaluit piimâ lanugine, crimen:
Non satis in cæco pectore mentis erat.
Subdola decipiunt incautos retia pisces:
Decipitur, visco, quæ malè credit, avis
Me mala libertas turpi traduxit amori,
Et mihi sub blando melle venena dedit.
I nunc turpis amor, mea labes ite Sodales:
Non ego vos, ut sim Virginis hostis, amo.
Ad tua castra Parens (ne nos exclude) redimus:
Da modò sub signis, ut priùs, esse tuis.
Antè diem primo compouet vesper Eôo;
Antè suos Titan, Lotàque sistet equos;
Quàm tua desertor post hac vexilla relinquam:
Ultima talis erit, quæ modò nostra fides.
Hanc fine spem me ferre tui, scelerique paratas.
Si non vis pœnas tollere; tolle scelus.

ELEGIA VII.

Amor B. V. MARIÆ desiderijs fovendus.

DEciperis, quicumque modum præscribis amori?
Ille avidus nullum novit habere modum.
Nulla est poscendi reverentia: pluribus instat:
Cúmque illi obtuleris plurima, plura volet.

Immodico si fortè rogas, quid fiet amori?
  Ars mea, quàm poscis, suppeditabit opem.
Mille tuæ fac vota, fac altera mille MARIÆ:
  Pluráque fac numerum non habitura suum,
Grana quis enumerat, Cereri dum fruge litatur?
  Quis sitiens pluvias computat hortus aquas?
Et tibi relligio est numero distinguere guttas,
  Spargis ubi placidam lacte Amarylli Palem,
Arida si paucis seges interlucet avenis,
  Impatiens parcam culpat arator humum.
Tu tua nec numero, nec limite vota coerce:
  Dives enim votis quilibet esse pôtest.
Quot cælum stellas, oculos tot amator habeto,
  Forma quibus Dominæ conspicienda tuæ,
Invideas, animo si quis maiore MARIAM
  Invideas, calamo si meliore colat.
Non ego conspicuos morer ambitiosus honores:
  Non ego defossas scruter avarus opes,
Si modò te cunctis præ vatibus auctius ornem:
  Si modò te cunctis plus ego, Mater, amem.
Tu mihi sola places, & digna videris amari:
  Tu mihi sola meo carmine digna cani.
Quò me cumque fero, præsens tua semper oberrat,
  Incurritque oculis semper imago meis.
Sæpe mihi terris(dum vitæ ex ordine volvo
  Facta tuæ) ferri sæpe videris aquis,
Nec tot aquæ fluctus, nec humus tot parturit herbas
  Quot fervent fibris abdita vota meis
O me felicem! si sim tua, Virgo, carina;
  Si famuler plantis herba terenda meis,
Præcipue dum templa peto, si flosculus ambit
  Crines, Diva, tuos; flosculus esse velim.
Multa tuâ coram si lucet imagine cera,
  Artifici ceræ gratulor hujus api.

Ante

Ante tuas lychnus si pendulus ardeat aras;
Cor mihi quód tali non calet igne, queror:
Thuris acerra suos tibi si submitat odores,
Fumificus totâ serpat & Æde vapor.
Cur meus, exclamo, simili non liquitur æstu
Spiritus? ô crimen torpor inique tuum!
Cur non sidereas ut fumus odorus in auras
Corpore consumpto non rediturus abit;
Votivæ paries si fulget honore tabellæ,
Quot mihi delicias una tabella facit!
Sæpe loqui mecum, quamvis sit muta, videtur;
Et me desidiæ sæpe monere meæ.
Quid tuus, inquit, amor magna pro Virgine tentat?
Cur tuus In gelido pectore sanguis hebet;
Ardet amans tormenta pati, lætúsq; triumphat,
Si pœnis veniat forte probanda fides.
Delicias in amore meo, vel præmia spectem?
Hæc capiant alij; non ita mollis ego.

ELEGIA VIII.

Amores B. V MARIÆ securi, & deliciis affluentes.

IDalios, quicumque volet, sectetur amores,
Audiat & leges, dure Cupido tuas.
Supplicet hic falsæ toties delusus amicæ,
Delusam toties dissimuletque fidem.
Alter in ingratos jaciat convicia postes,
Molliat & blanda limina dura prece.
Nos neque blanditias, neque jurgia dicere posti
Novimus, aut Dominæ regna superba pati.
Ille vel ille suos pretio mercetur amores:
Ambiat obsequijs ille, vel ille suis,

Sit, qui sanguineo sibi vindicet ense puellam
Improbus, & tanti damna pudoris emat.
Me mea tam saevis subduxit vita catenis
Ah! miser est, quem sic versat iniquus amor:
Saepe fuit laqueus merces extrema laboris!
Saepe fuit ferrum, saepe fuistis aquae,
Magne Philistaeis quisnam te, Samso, maniplis
Prodidit? a Dalila proderis ipse tuâ,
Securos placido ducebas pectore somnos
In gremio blandae desidiosus herae
Et quis ibi insidias, quis ibi speraverit hostem;
Insidiae tamen hic; hic tamen hostis erat.
Hostibus attonso te tradidit ipsa capillo;
Tradidit. Hoc tandem pulcher amator habes!
Et fuerat forsan jactura ferenda capilli:
Lumina barbaricâ quis ferat hausta manu?
Sunt procul infesti nostris ab amoribus hostes:
Nullus ibi fraudi est; insidijsve locus.
Non amor hic ficto, non pax componitur ore:
Illecebrae infidâ proditione vacant.
Omnia perpetuis (expertos testor Amantes)
Tempora blanditijs, tempora melle fluunt.
Bernardus de mille mihi sit testibus unus,
Vbera cui Virgo turgida lacte dedit.
Coeperat ad statuam supplex orare MARIÆ,
Et facilē precibus sollicitabat opem.
Cùm subitò exiliens dextrae de fonte papillae
Lacteus orantis fluxit in ora liquor.
Ille novum spectans trepidis lac currere rivis,
Et laetum ignotas edere marmor aquas:
Curre, ait, ô ripis effuse patentibus amnis,
Et mea delicijs prolue labra tuis.
Curre, precor, nondum sitis est extincta bibendo:
Fallimur? ipse sitim qui levat, humor alit.

Ne mihi succense lactenti, Mater, alumno:
Magna quidem, sed non invidiosa, rogo,
Quæ distenta suo genitrix neget ubera nato?
Sum tuus, hæc vestra est gratia. Natus ego.
O quàm pura mihi capitur jam mente voluptas
Hoc si gutta potest, Virgo, quid ipsa potes?
Plura loqui tentabat Amans, cúm lingua repentè
Obruta delicijs, obruta lacte fuit.

ELEGIA IX.

Amori B. V. MARIÆ.

PAlma tua est, cœlestis Amor: quid amica mi-(naris
Sub juga me tandem mittere? promptus eo,
Si quid opum nobis, si quid superexstet honoris:
Diripe: supremum jus modo victor habes.
Fige meas terebræ geminatis ictibus aures:
Totus sum nexu mancipióque tuus.
Perge suâ nostram radice refigere linguam;
Officiosa tuæ fórs tuba laudis erit
Et geminos exsculpe suis de sedibus orbes;
Obses erit fidei certus uterq; meæ.
Palma tua, est cœlestis Amor; me stringe measq;
Adde manus manicis, compedibúsque pedes.
Jam Dominæ captivus ero, captivus JESU:
Christe meæ Dominæ victor es, illa mei.
Palma tua est, cœlestis amor: molire triumphum;
Io, io magna voce, triumphe, cane,
Annuis? ergo mei bona corporis ite sub hastam,
Sub titulumque meæ currite mentis opes.
Si quis forte roget: quis vos transfixerit aures:
Virgineus terebra, dicite, fixit amor.
Si quis forte roget, quis vos expunxit, ocelli?
Dicite, Virgineæ nos amor hausit Heræ.

Si quis forte roget, fibris cur lingua revulsa?
Virginis hoc dices esse faventis opus.
Palma tua est, cœlestis amor: conscende jugales,
Jo, jo, magna voce, triumphe cane.
J bonus, i velox, Divæ jactare memento,
Quod de me spolium victor, & arma refert,
Ex meis, dices, flammis accensus amator:
Ille mea fixus cuspide, Mater, habet.
Iamque tuos ardet vultus, præsentiaque ora:
Sæpe MARIA veni, clamat, Amorque redi.
Mox abit in planctus, mox fletibus increpat horas
Et nimiùm segnes temporis urget equos.
Hoc age, & ò breve sit, curru rape in æthera amantem:
Non veniet pompæ præda pudenda tuæ.

ELEGIA X.

Animi corporisque bona à B. V. MARIA merito sperantur.

TE licet impietas juratum Numinis hostem
Fecerit, & prædam fœda libido suam;
Est tamen unde tibi veniat spes certa salutis.
Dum modò sit causæ Virgo benigna tuæ.
Protegit illa reos. Nec te tua crimina tangant,
Sint, licèt, albentes usque secuta comas.
Da mihi Theophilum, quamvis periurus, amicam
Rebus in extremis experietur opem.
Da mihi Pellagiam, quamvis obscœna, pudori
Consulet, & vitæ corriget acta suæ.
Deniq; quisquis eritSuperûm contemptor & æqui,
Officij fiet justitiæque memor.
Hei mihi! quam multos damnârat judicis urna,
Nî bona præsentem Diva tulisset opem.

Dicitur

Dicitur horrisonos eludere fulminis ictus,
Cui tremulum lauri protegit umbra caput:
Non secús irati vitabit Numinis iram,
Patronâ nixus Virgine quisquis erit.
Corporis ut mentis Virgo studiosa salutem
Curat & in dubio est, hæc sit, an illa prior.
Hæc cæcis oculos hæc surdis integrat aures,
Mutaque vocali temperat ora sono,
Si redivivæ vocet manes in corpora, cernes
Concessam nullâ lege redire viam.
Parcite, si vastum laudis diffusus in æquor,
Huc illuc vento liberiore ferar.
Vallem cygnæam absumptis propè civibus urbem
Perdiderat cœlo deteriore lues.
Non erat in medico, medica nec in arte levamen;
Restabat summâ Diva roganda prece
Illa suam celso Vallem respexit olympo,
Attulit & fractis sedula rebus opem.
Tota salutifero cinxit pomœria filo,
Quáque tulit gressus, vita secuta fuit.
Protinus in tenues abeunt contagia ventos,
Finitimisque lues cedere jussa locis.
Quondam sic etiam (res non indigna relatu est)
Quæ data Fulberto signa, salutis erant.
Ille siti, morbique gravi jactatus ab æstu,
Nec procul à tristi limine mortis erat:
Ubera Diva dedit, neq; enim tulit illa clientem,
Ubera dum turgent plena, perire siti.
Et te, Kostka, thorus cùm jam fatalis haberet,
Adjuvit dextro numine Virgo parens.
Adfuit, inque manus puerum tibi cessit JESUM,
Qui tibi de collo dulce pependit onus.
Nec mora: te medio rapuit discrimine morbi.
Hôc ego, dum potiar pignore, morbe veni.

Et dubitamus adhuc votis ambire MARIAM ?
Ah! nimiùm segnes in bona nostra sumus.

ELEGIA XI.

B. V. MARIA in morte suis opitulatur.

Causa suprema vocat: quid non metuamus Amantes ?
Alea sollicitâ projicienda manu est.
Ferreus explorat vitas & crimina judex.
Ah! stupor est, causæ non timuisse suæ.
Tu tamen una metus, tu spem Regina serenas,
Atque ades in dubio fida patrona foro.
Auxilióque venis pavidum miserata clientem,
Cùm pede mors mœstas pulsat acerba fores.
Sedula pervigilas, ne quid malus audeat hostis:
O quantum hæc teneræ cura parentis habet!
Accipit in pullos animum gallina paternum,
Vulture multiplices incutiente metus,
Illa sonat raucùm, versatque per omnia vultus,
Dum sua sint toto pignora clausa sinu,
Aspice, maternas irrumpat ut agmen in alas,
Séque velut fido papilione tegat.
Milvus adest, rostróque furens atque ungue tremendus,
Comparat innocuo vimque metúmque gregi;
Huc oculos modò cauta parēs, modò dividit illuc:
Ut quicunque videt, dicere possit, amat.
Cernis ut accendat cristatam in prælia frontem,
Armatos stimulis exacuátque pedes?
Ut sibi pugnaci placeat ferus indole milvus;
Victus init primum, quà fuga monstrat, iter.
Gallinæ si tantus amor succurrere pullis;
Quanta sui Divæ cura clientis erit! Scit

Scire potes Brigitta: tuo nónne optima nato
  Adfuit; & promptam Virgo paravit opem?
Viderat hostis atrox soles instare supremos:
  Advolat, & prædam, quà licet, inquit, agam,
Quò ruitis damnata cohors? certamen & iras
  Ponite. Pro servo stat pia Diva suo.
Excubat, & custos lateri morientis inhæret,
  Donec eum sensus destituátque calor.
Donec corporeis animum complexa solutum
  Nexibus aptato tollat in astra sinu. (nal
Res nova. Ad æthereum tantâ de Matre tribu-
  Ausa fuit rabidâ Bellua voce queri;
Hanc sibi non æquam, partas sibi tollere prædas,
  Inijcere audaces in sua regna manus:
Hanc primo gemitu, primo hanc clamore vocatam
  Quamlibet indignis semper adesse reis:
Hanc nihil, aut minimum, quid jus det cuique videre:
  (Verba velut dirum singula virus erant)
Ibat adhuc in verba furor: respondit IESUS,
  Nil bene non agitur, quod mea Mater agit.
Huic divina suum cessit clementia sceptrum:
  Huic ego Judicij fræna regenda dedi.
Dixerat Inversis reperuntur tartara signis.
  Tutáque sub Stygio quæritur orbe fuga,
Longus ero, si plura brevi solatia tangam,
  Mortis in extremo præbita sæpe metu.
Ne per multa vager. de multis una puella est,
  Innocuæ quondam cura fidelis ovis.
Sueverat illa sacram dextrâ versare coronam,
  Lanigeri tondent dum thyma læta greges.
O quoties gestivit ovis balare, sacratas
  Rumpere balatu nec fuit ausa preces!

O quoties

O quoties viso lupus horruit orbe coronæ ;
Obvia nec viso palluit agna lupo ;
Venerat ergo dies felicibus adita bigis,
Præmia quâ cœlo digna puellâ ferat,
Suppetias divina Parens latura puellæ,
Exiguam versùs tendere visa casam,
Virginis incedentis erant tres, pompa, phalangesq;
Non facies illis una, colórve fuit.
Prima coronatis ibat spectanda capillis:
Pars rosa, pars violæ, pars hyacinthus erat.
Altera flammivomas cœlesti lampades igne
Prætulerat lauri fronde revincta caput.
Tertia quæsitas gestabat sanguine palmas,
Quem pro defensâ religione dedit.
Pande tuas, ô caula, fores, admitte MARIAM :
Altera jam dici virginis aula potes.
Intulit ipsa suas agresti limine plãtas;
Visus & æthereâ luce nitere locus.
Nec mora: Virgineis animam deponit in ulnis,
Funere tam fausto digna puella rapi,
O funus! ô faciles currus! ô digna triumpho
Fercula, Cæsaribus. Roma, negata tuis:
Fortè rotas aurô rigidas gemmisque parabas,
Aut ebur, aut nivei fortè coloris equos;
Sed modò confractos currus, axésque videbas;
Et modô pro lauro mœsta cupressus erat.
At quem Diva suis indulsit amica triumphum,
Ille, vel invitã morte perennis erit.

ELEGIA XII.

Sacrum sui Clientis cadaver Beata Virgo MARIA custodit.

CRederet hoc quisquam, dum fatis cessit amator,
Virgineus cineri spirat inustus amor.

Quamvis humanum sit pulvis & umbra cadaver;
  Ista ministerio pars quoque functa suo est.
Est aliquid Dominæ votivam ferre corollam,
  Illius & blandâ gesta sonare lyrâ.
Est aliquid victu genium fraudare diurno,
  Sol quoties roseis Sabbata portat equis.
Officij pars nulla suo non fœnere constat;
  Et referunt census singula pensa suos.
Talis in infami Virgo fuit ipsa latrone:
  Hinc, precor, obsequij præmia disce tui.
Venerat in tristem non exscensurus arenam:
  Collaque jam gladio jamque daturus erat.
Tum miser agnovit, toties quem fugit amicum,
  Ultorem certé post caput esse Deum.
Hæc equidem merui, Virgo sanctissima, dixit:
  Sit mea, fac, tali culpa soluta nece.
Sabbata jejuni transegimus; hæc quoque nostras
  A latrocinijs continuêre manus.
Ista tuus præscripsit amor solemnia nobis,
  Sic ego, si memini, religiosus eram.
Pro quibus Officijs, tumuli mihi confer honorem
  Ne jaceam medijs triste cadaver agris.
Dixerat. Emoritur. Lato jacet æquore campi
  Truncus, & alitibus præda cibúsque datur.
Nox erat, & tenebræ: circùm, supráque, corusco
  Lumina funestus fulgere visus ager.
Cœlitibus Regina gradum stipantibus infert,
  Ne suus extincto debitus absit honos.
Illa caput trunco digitis solertibus aptat:
  Major inest collo, quàm fuit ante, decor.
Corpus & ossa novo pariter composita ferétro
  Regia feralis purpura pannus obit.
Mox tulit exequias cœlestis turba, novâmque
  Sandapilam pars hæc gestat, & illa faces.

Adstitis

Adſtitit ût portis, vigiles ſtupuêre: nec ullus,
Quiſve ferat, novit, cuíve feratur honos.
Pande fores cuſtos, dixit Regina, latroni.
Urbs quæ veſtra neg.t debita juſtâ damus.
Ite citi, neglecta ſuo date membra ſepulchro,
Et pretium meritis æqua rependat humus.
Sic coluiſſe juvat tenui mea Sabbata cultu,
Et vacuum culpis hunc tenuiſſe diem.
Tu quoque dic quantos tuleris Guttcre favores,
Diſſecuit vitæ mors ubi fila tuæ.
Non erat, exanimum quô te velare Sodalis
Poſſet, & extremam quo tibi ferret opem:
Sindona fert Virgo, texit quoque ſindone funus,
Quid faciat nato blandius ulla parens?
fuit in Belgis juvenis; quem Diva clientem
Unum de numero juſſerat eſſe ſuo.
Dixerat emoriens: cùm frigidus efferar iſthinc,
Ibit & in funus tota juventa meum.
Tunc cancellatæ me ſiſtite Virginis Ædi:
Hujus eram vivus, mortuus hujus ero.
Prima MARIA meos; in vere ætatis, a mores
Abſtulit; hos tumulo ſervet & illa meo.
Sæpe dati nobis inter convivia flores,
Sertáque de violis addita, déque roſis:
Hæc ego Virgineas (Superi vos teſtor) ad aras
Non intermiſſâ relligione tuli.
Dixit: & in medio vitam ſermone reliquit
Parte ſui moriens, parte ſuperſtes amat.s.
Vidimus inſtitui longam pro funere pompam;
Et quidquid pietas addit, & addit honor.
Ventum erat ante tuos, Mater dulciſſima poſtes;
Funebris injectâ ſubſtitit ordo morâ.
Scilicet auguſtâ quæ majeſtate ſedebas,
Protinus erecto es ſurgere viſa pede.

Viſa

Visa super feretrum fortunatúmque clientem.
Fausta precaturas imposuisse manus.
Finiturus eram, nisi me revocaret Alanus,
Cujus ab interitu fulgida dextra fuit.
Jurasses anteîre nivês, anteîre ligustra,
Assuetam Dominæ texere serta manum.
Nec mihi parva fides. Hæserunt aurea labris
Lumina, Phœbeâ lucidiora face.
Hoc decus emeruit facundæ gratia linguæ,
In titulos, Virgo, non nisi nata tuos.
Quis modò virginei tumulo me sistat Alani,
Mille manu spargam lilia, mille rosas.
Ille animum tenero devovit ab ungue MARIÆ:
Et me àliquis tumulo lilia ferre vetet?
Ille suum Dominæ pro virginitate cruorem
Sæpius optavit fundere: funde rosas.

ELEGIA XIII.

B. V. MARIA Clientem suum lustralibus flammis liberat.

CUm vitæ jam fila tuæ, extremámque totondit
Non exorato forfice Parca comam:
Si te durus habet lustrali carcer in igne,
Et culpæ pœnas exigit ille tuæ.
Ad cœlum faciles aditus per inania quæres
Vota, tenax Iræ Numen, & ignis erunt.
Flebis, & absument longos incendia fletus,
Dum vitæ labem diluat acta dies.
Parce metu: metámque tuis & tempora pœnis
Ponet, & ultori jura MARIA foco,
Causa perorata est: tristes abscedite flammæ:
Vincula captivo Tartare solue tuo.
Crimina si numeres, at ego suffragia nectam,
Quæ pia pro misero Diva cliente dabit.

In ultum est? opibus vitam castigat egestas,
Regia quam viso paupere virgo tulit.
Gressibus erratum est: gressus appende frequentes
Et Solymæ tritam per loca Sancta viam.
Peccatum est oculis? oculos appende, quibuscum
Caste pudor numquam lis fuit ulla tibi.
Audior; & positâ mitescit compede carcer,
Ignis & ille atrox incipit esse pius.
Rem propior tango, testem se Roma professa est.
Gestit in hac Musæ parte favere meæ.
Festa dies aderat, quâ terris, Virgo, relictis.
Regnat, & imposito vindicat astra pede.
Laudibus & pompâ talem celebrare triumphum
Roma, tuis ingens Patribus ardor erat.
Ista ferunt visos inter solemnia Manes,
Virginis ad sacras præcipitare fores,
Quò vos? (qui tenues vidit sine corpore vitas)
Inquit, & ad Superos unde tenetis iter?
Nos hodiè flammis (flammas accendimus ipsi)
Libera Virgineo turba favore sumus.
Nos ideo densis ad sancta altaria turmis
Tendimus. Huc pietas officiúmque vocat.
Pars grates, pars vota feret, pars carmina dicet:
Pars canet exilij tempora lapsa sui.
Oscula pars dextræ figet, pars oscula lævæ,
Quæ nos é medijs eripuere focis.
Trans cineres sic fida suum protendit amorem
Mater, & imperij jura benigna sui.
Ultima Virgo meæ cùm mors advenerit horæ
Linea, judicij prima futura mei.
Ne, precor, ô pigeat famuli meminisse, cupivit.
Esse bonus, si non optimus ille fuit.
Fortè, quod heu! timeo, lentis ardoribus urar.
Grande malum, lentâ flamma ferenda morâ.

Ah!

Ah! potiùs dum fata ſinunt, me luſtret amoris
Igne ſui IESUS, igne MARIA ſui

ELEGIA XIV.

Perſeverandum in amore Beatæ Virginis MARIÆ.

DOnec amans ſacri metam contingat amoris,
Nulla vacet curſu, nulla labore dies.
Durat amor longùm. Circo diſcedat ab iſto,
Quem vires, animi deſtituitque vigor.
Currite vos quibus aſtra favent, quibus ardet amoris.
Lampas inextinctâ conſpicienda face.
Sic pugil ad palmæ volat indefeſſus honores:
Sic æterna ferox prælia victor amat.
Sic celer aſtriferum Titan emenſus Olympum,
Altera jam laſſos ad juga cogit equos.
Aſpice Penelopen. telâ quàm ſudet in una,
Quæ data connubij pignus & obſes erat.
Nocte retexit opus, totâ quod luce paravit;
Nec laſſant viduas bis duo luſtra manus.
Felices nimium, quos nulla ab amore reclinant
Otia, quos nullo dividit hora die.
Quos neque degeneres annis labentibus ætas
Quos neque degeneres ſors minùs æqua facit.
Eventura cano. Curſu vos magna peracto
Palma manet, tanto digna labore peti
Palma manet, quam nec Boreas, nec Syrius uret,
Olim victrices implicitura manus.
Diva tuo fidum fac me conſtanter amori,
Et mea, fac, nullis flamma tepeſcat aquis.

Isacides potuit septenas ordine messas,
(Solamen pretium forma Rachelis erat)
Isacides potuit tam longos ferre labores;
Spes tamen optatas sic quoque lusit hymen.
Trux socer & leges, totidem præscribit & annos
Accipit & leges, & data jussa gener
Una Rachel solesque breves, breve frigus & æstum,
Una Rachel curas, & leve reddit onus.
Non ego, virgo, tuos rerum pulcherrima vultus;
Non ego te forti pectore, Mater, amem?
Ah ! lapis est, quicumque tuos non foverit ignes
Hos mihi dum dederis, præmia nulla velim.
Nec moror in longam, fila extendenda senectam
Dum mea vita tuo spiret amore, sat est.
Exiguis vitæ spatijs æquabit amantem
Secula, qui constans, qui bene fidus amat.

ELEGIA XV.

Mirum in cælo gaudium ex aspectu B. V. MARIÆ.

SIc est: Parthenios invitat ad astra Clientes,
Candida quæ puro semita lacte nitet.
Hic Deus, hic omne est, quo mens expleta triumphet,
Et desiderijs ponat avara modum.
Numinis aspectu quicunque fruuntur amantes;
Pleniùs ex ipso gaudia fonte bibunt.
Altera lætitiæ Christus seges, altera Virgo:
Quæ miro Divos frontis honore capit.
Quantum pulchra suæ concedunt sidera Lunæ,
Dum pleno nineas spargit ab orbe faces;
Tantum præ Superis & majestate coruscat,
Eminet & formæ dote MARIA suæ,

Illius

Illius è vultu totus pendebis amator,
Hæc est lætitiæ scena parata tuæ.
Sive suos oculos in te Regina moretur;
Hujus in aspectu sive morêre tuos;
Semper erunt flammæ, quæ te feliciter urant:
Semper erit, qui te nectare pascat, amor.
Hæc ego magna voco, quamvis majora supersint,
Quæ de Virgineo gaudia corde fluunt.
Dulce cor, immenso latè spectabile cœlo,
Quàm rapis, arcanas quando recludis opes!
Da veniam cœlestis amor, si præterit arcum;
Præterit & flammas si mea Musa tuas,
Hæc dicent alij, qui te sensêre, probantque
Quas cornu vires, & tuus ignis habent,
Noverat hæc juvenis, qui captus amore videndæ
Virginis, orbari lumine sponte tulit.
Orbus & ille fuit (quis lusus amoris!) ocello:
Fulgida quo Dôminæ viderat ora suæ.
Scilicet augustum nequijt perferre nitorem,
Tantus honor formæ, gratia tanta fuit!
Hei mihi, dixit amans, oculus cur permanet alter?
Una dies pandit, nox tegat una, duos.
Diva parens, dextro concede, quod antè sinistro:
Non ero de nihilo cæcus amator ego.
Sistitur ergo favens iterum Regina clienti,
Lumine sidereas ejaculante faces.
Conspicit ille suæ vultus impunè patronæ;
Raptáque lux oculo, quæ fuit antè, redit.
Quare Parthenici longùm florete Sodales:
Vos, quibus à puro pectore venit honos,
Cœlestes oculis decerpite semper amores,
Quos parit aspectu pulchra MARIA suo:
Blandaque virgineo manans è corde voluptas
Influat in vestros amplior usque sinus.

Sat mihi, dum liceat primis contingere labris
Hos, mea qui toties ara fuêre, pedes.
Hactenus optatum sulcavimus æquor amantes:
Vos date navigio debita serta meo.

ANTONIJ DESLIONS
è SOCIETATE JESV.
DE
ANGELI TVTELARIS CVLTV
ELEGIA

ANGELICUM quibus officijs venereris Achatem
Auspicor: auspicijs plaude Juventa meis.
Scilicet hæc artis lætissima janua nostræ,
Mille boni causas, mille salutis habet.
Incipe parve puer Custodem agnoscere cultu,
Aurea dum primi tempora veris eunt.
Ductus amore tui desertis advolat astris,
Et tuus in terris sustinet esse comes:
Et tibi cœlestes paulatim infundere sensus,
Inferius curis non putat esse suis.
Ordiar à primo surgentis lumine solis:
Successum spondet: quod bene cœpit, opus.
Si quis ab ignavo jubeat te surgere somno;
Custodis dicas, sunt ea jussa mei.
Eripe te thalamo: cœlo tua lumina tolle:
Tendit iners illis vincula lenta sopor. Mox

Mox cape cum tunicis metuentem crimina vultū,
Et vitium nudi corporis omne cave.
Eſt tibi, nî fallor, modico brevis ara paratu:
Huc animi primas, fer tua dona, preces.
Jam bene præterij, dices, ſine crimine noctem:
Quám nox fauſta mihi, tam ſit amica dies!
Iſta datur, forſan non exhibitura ſequentem:
Tu rape non ſegni, quod feret illa, manu.
Attentum ſtudijs me ſol, & Dive videbis:
Pars mihi de tota non cadet ulla die
Rectè habet: orâſti. Muſis aſpirat Eóus,
Déque novem jam te convenit una ſoror
Utile ſit, fauſtúmq; precor. Sic annuat æther:
Primáque ſit ſtudijs cura, Tonantis honor.
Eſt, cui mens varijs improvida flexibus errat,
Quòque parat curſum vertere, cæca via eſt.
Scire cupit, quod nempe ſciat: quid vanius iſto?
Quid niſi ventoſæ ſemina mentis alit?
Et ſcire alter amat, toto clareſcat ut orbe.
Monſtretur digito, turbàque dicat: Hic eſt.
Res eſt, crede, levis, volucrique ſimillima fumo
Gloria, quam populi plauſus & aura facit.
Æſtimat alter opes, pretium non vile laborum:
Tu meliùs, pretium vile putabis opes.
Turpe ſuis Numen non præpoſuiſſe Camœnis:
Turpe operam fruſtrâ proſtituiſſe ſuam.
Si tibi difficilis, vel res erit ardua captu;
Conſule: ab Angelico lumine lumen erit.
Nec tua perpetuis ſudet mens anxia curis,
Da leve neſcio quid ſubmodicúmque preci.
Audio: nola ſonat. Latiæ pete caſtra Minervæ,
Ut ruit auditâ miles ad arma tubâ.
Cuſtodique tuo meritum de vertice honorem
Sive domo egrediens, ſive reverſus, habe.

Numen adi, si templa tuæ vicina palæstræ,
  Non habeant clausas ad tua vota fores;
Dũque subis classẽ, quot habet tua classis alumnos:
  Sponte tot Aligeris exhibeatur honor,
Et dices: Salvere loci, sacer, Angele, præses
  Te jubeo, Musis velificare meis.
Vòsque duces Genij stillate clientibus undam,
  Quæ ruit è summi vertice missa jugi.
Quâ simul ac solers tinget sua labra Juventus;
  Eloquij fundet flumina larga sui.
Ecce Magister adest: linguis animique faveto
  Sedulus, & Divos ad tua pensa voca.
Si sapias, totus pendebis ab ore loquentis:
  Ad sophiam cunctis hæc via fecit iter.
Quid si præcipiam, fusas mens provida curas
  Contrahit, emotis dum sonat hora rotis;
Angele dic, fuis hora meis quæ candida votis;
  Candidior semper candidiòrque fluat.
Scis quibus insidijs, Stygio petar unus ab hoste;
  Insidiæ per te deficiàntque doli
Crede mihi, feret auxilium, seu tendis in hostem,
  Seu socijs mediâ prælia classe moves:
Seu perarare leves hoc sub censore tabellas,
  Seu liber Aonijs nectere verba modis.
Finis adest classi; jam stat facturus ad aras
  Mysta: ministerio fungere rite tuo,
Jnspice quò properes, nihil hîc nisi grande para-
  Majestas illo sistitur ampla loco. (turæ:
Vade, sed ingenuos æquo pede divide passus,
  Quos tuus observat subsequitúrque comes.
Protinus ex imis vibres tua vota medullis,
  Præstet & officium ménsque genúque suum:
Sint procul à nobis juvenes, qui tẽpla frequẽtant.
  Porcus ut immundam sordidus intrat haram.

Casta

Casta placent Superis, castâ tù mente precare:
    Ingenuas sedes exigit illa preces.
Isthic cum socio nutus conferre loquaces
    Sit pudor, & vetitis addere verba jocis.
Attonitos perhibent se circum altaria Divos
    Fundere, dum Mystes pane meròque facit,
Nec te cœlituum, nec te reverentia tangat
    Numinis? ô atis debitus horror ubi, est?
Angelus ultor adest, ni œstus nisi facta retractes;
    Quamque pius Custos; tam ferus ultor adest.
Hoc age Quam patiens Solymis exhausit JESUS,
    Ante oculos veniat pœna cruenta tuos.
Hic ego te mœsta cum Virgine ferre dolores,
    Hic ego te planctus ingeminare velim.
Ah! lapis es, si Matre pati patiente recusas;
    Si cohibes gemitus, Matre gemente, tuos.
En tibi Materiam, quâ sit texenda corona
    Virginis, & quali deproperanda rosâ.
Hæc foret ô utinam votis conserta pudicis,
    Gratior in terrîs nulla corona foret!
Aliger augustas orator missus ad aures,
    Pauca quidem pro te verba, seû apta feret.
Hanc tibi qui mittit, dicet, Regina, coronam,
    Accipias, supplex, ut sua dona, rogat.
Ut reor, oblatum non aversabere munus,
    Auctotis carum quod tibi fecit amor.
Sic tempus precibus, voto sic supplice duces,
    Dum mystæ verbis dicitur, Ire licet.
I bone; téquè tuus per compita trita reducat
    Angelus, à propria duxit ut ante domo,
Quæ priùs exposui, medio, fac, sole sequaris
    Jussa, per inceptam doctior ire viam.
Et modò da requiem, sua da modò tempora Musis,
    Grata quibus modicæ sunt alimenta vices.

Cùm

Cùm ſol præcipitat cælo, tua facta revolve,
Et quibus abfuerit laus ratioque, vide.
Nil impune feras, nec ſit levis error inultus:
Jpſe tibi Judex, teſtis, & actor eris.
Da breve propoſito ſpatium: da lumina ſomno,
Qui tibi deterſo crimine dulcis erit.
Denique ſic illo ſub Præſide vive Camœnis,
Nulla velut vitæ meta ſuprema foret.
Sic etiam vigila quamvis attentus in horam,
Ceu foret hæc vitæ meta ſuprema tuæ.

INDEX ELEGIARVM
LIBRI PRIMI.

LI.

LI-

LIBRI TERTIJ.

CEN-

CENSVRA,

HOs quisquis Elegos mente benevolâ leges,
Relegesque; certo certiùs miraberis,
Qui fiat, ut in hac ingeni atq; carminis
Nervositate tanta sit suavitas:
Qui fiat inquam, ut in hac amoris ac styli
Suauitate tanta sit nervositas?
Adeóque si in cognomine Auctorẽ inspicis,
Statim habebis unde celebre Samsonis putes
Ænigma te solvisse, quando dixeris
Quid MELLE *dulcius, &* LEONE *fortius?*

Jtà ex auctoritate Reverendissimi Domini Episcopi Atrebatensis censeo.

Franciscus Fournetius,
è Soc: JESU, S. T. D.

S I-

SIDRONIJ HOSSCHII
è SOCIETATE JESU ELEGIÆ XII.
DE CHRISTO PATIENTE
ELEGIA I.

Christũ ingenti patiendi desiderio semper arsisse.

JUnge triumphales currus amor: indue lauro
Tempora: de magno pone trophæa DEO
Jlle tibi victus cessit; tua jussa secutus
Exilium regno prætulit ille suo.
Utque suum servaret opus, tulit omnia, & ingens
Nos vitæ pretium credidit esse suæ.
Heu pietas! quantas aluit sub pectore flammas!
Quanta illi, & quoties vota fuêre, mori!
Non ita suspirat, solviqũe miserrimus optat,
Quem rigidâ vinctum compede carcer habet:
Non ita Sarmaticis exul confectus in oris
Ad patrios ardet posse redire lares:
Ut nos morte suâ meritæ subducere morti
Arsit, & in pœnæ totus amore fuit.
Hæc nondum geniti, hæc inopi nascentis in antro,
Hæc durâ in stipulâ vota jacentis erant.
Vagierat, mater frigus nocuisse putavit,
Aut rigido lædi stramine molle latus.
Quaq; potest, stipulas, & fœnum mollius æquat,
Quaque potest, frigus levit, & arcet ope.
Nil agis ô Mater! dolor hîc, & causa doloris
Maternâ tolli sedulitate nequit.
Non tantùm plorat, quia cannæ & stramina lædũt,
Et quia plus duro stramine lædit hiems.
Quamvis & plorat, quia cannæ & stramina lædũt,
Et quia plus duro stramine lædit hiems.

Quantum

Quantũ,quòd longa mora temporis obstat amanti,
Et videt extremum tam procul esse diem.
Si liceat jam flagra pati, jam saucius altæ
Affigi cupiat brachia parva cruci
Ipsa crucis mora tormentũ est, cruce durius ipsâ:
Hanc puer,hanc causam, cur lacrymetur habet.
Creverat, & pariter patiendi creverat ardor:
Jamque fabri patris non leve tractat opus,
Ah quoties, dum solus erat, fabrilia signans
Instrumenta oculis, talia verba dedit!
Malleus en,clavique,& trabs, transversaq; ligna,
Jussaque porrigimus brachia, lictor ubi es?
Sic ait, exertásque manus. corpúsque trabali
Aptat amans trunco, vulneribúsque parat.
Collis erat, collem felix umbrabat oliva,
Non procul à muris, urbs Solymæa, tuis.
Illic corpus humi prosternere sæpe solebat,
Illic flens totâ ducere nocte preces.
Oscula mille dabat terræ quia primus in illam
Omnibus è venis sanguis iturus erat:
Sæpe preces inter: Quando te sanguine tingam
Humida nunc lacrymis, dixit; arena meis?
Sæpe salutavit, tuuc, cùm veniebat in urbem,
Conscia supplicij tecta futura sui.
Lustrat & interdum,quod postmodo,sæpe fatiscẽs,
Sub cruce, purpureum sanguine fecit iter.
Dùmque videt montem,vincendæMorris arenam,
Quâ metam pœnis, & sibi fixit amor:
Tum verò vultus, oculósque ardere videres;
Nec flammas pectus posse tenere suas
Hæc eadem exercent nocturnam visa quietem,
Pœnarum series ordine tota redit.
Tunc quoque sæpe manus ratus est offerre catenis
Terga flagris, spinis tempora, colla cruci.

Bra-

Brachiaq; extendit vanum captantia lignum,
Impia ceu præsens cum cruce turba foret.
Quin etiam interdum velut inclinare videtur
Exanimum, collo deficiente, caput.
Somnus abit; sed enim species objecta futuri
Non abit; hanc versat, perpetuamque facit,
Surgit, & ex imo suspiria pectore ducit.
Quæque feret, jam nunc ferre paratus, ait:
Ludis amor, vincisque Deum, cogisque fateri
Nostra propè imperijs esse minora tuis
Possum ego luctantes pelago compescere ventos,
Et murmur trepidis eripere omne Notis.
Cùm libuit, vitæ, lucique cadavera reddo:
A nutu pendent vitâque. Mòrsque meo.
Quoslibet alterius possum sanare dolores,
Tollere non possum, te prohibente, meos.
Non ego dedignor tibi cedere victus, & ultro
Addere captivas in tua vincla manus.
Sed, mihi quæ victor facies, quid vulnera differs?
Cur mihi crux nondum, dulce subitur, onus?
An decet, aut æquum est tua te mandata morari?
Cur, quæ ferre jubes vulnera, ferre vetas?
Aut non urgeres, aut me patêre volentem
Imperium sineres, & tua jussa sequi.
Scilicet expectanda dies, & temporis ordo,
Tolle moras illas, impiger odit amor.
Heu mihi! tam lento mea cur pede labitur ætas?
Heu mihi! cur annos non venit ante suos?
Quam vellem menses, sineret Pater ocyùs ire,
Ocyùs alipedes currere solis equos!
Vósque dies, horæque levi properare volatu,
Invisásque mihi præcipitare moras!
O quàm grata mihi venies, asperrima quamvis.
Quæ vitæ venies hora suprema meæ!

Sic

Sis licèt immitis parituráque mille dolores,
Te tamen hanc ipsam, quâ loquor, esse velim.
Ah! propera, & tecum nullas non advehe pœnas:
Sola mihi pœnæ pœna levamen erit.
Ut properes, & te curras velociùs ipsâ.
Advenies votis serior hora meis.

ELEGIA II.

*Futuros cruciatus Christo præsentiũ sem-
per dolorum causam fuisse.*

CHriste, quid ætatē, mensésq; annósq; morantes,
Quid quereris lentè currere solis equos.
Et quasi nunc iras, quibus in te sæviet olim
Crudelis Solyme, non paterêre, gemis?
Parce queri, quidquid vitæ tibi fluxit ab illo,
Quo cœpit primùm tempore, pœna fuit.
Expletur sitis ista tibi, quâ fervidus ardes.
Plena quid in medijs flumina quæris aquis?
Si, nisi morte tamen, non pones mortis amorem.
Utilior votis est mora longa tuis.
Hæc tibi suppliciũ est: hæc mortes mortibus addit:
Hæc, quidquid faciet barbara turba, facit.
Dicere fas mihi sit: non est mora, nónne furentũ,
Dum te sic cruciat, prævenit illa manus?
Si nondum cervice geris manibúsque catenas;
Nec lacerant sacrum spinea serta caput;
Si nondum tibi velluntur de corpore vestes,
Nec perfusa tuo sanguine terra rubet;
Nec duris graviora sonant convitia flagris;
Nec te pendentem crux subeunda tenet;
At tibi sævitiæ mens non ignara futuræ
Hoc facit, & tanti causa doloris Amor.
Illa videt, quidquid poterunt odiúmq; furórque,
Quódque videt, patitur: pœnaq; fine caret.
Iam

Iam nunc sævit in hac, quamvis non sauciat artus,
Lictorum rabies, totaque semper adest.
Illic proditio, perjuraque verba tuorum,
Et siccâ levior fronde futura fides.
Vincula sunt illic, ferróque sònante catenæ,
Et, quo figetur, lancea fixa loco est.
Illic carnifices, illic clavosque, crucemque,
Et, quæ te lacerant, vulnera semper habes.)
Hic quoq; stat genitrix, teq; in cruce pallida spectat,
Quotque videt plagas, tot putat esse suas.
Hic pariter tecum luctuque, & mole laborum
Obruta, mille neces sustinet ante necem.
Quid gravius, cùm pendebis moriturus in alto
Stipite, quid gravius, cùm moriêre feres?
Ah quanto levior tibi erunt scuticæq; vepresque,
Et crux & ferro vulnera facta, dolor!
Nec tibi decedit, sed inevitabilis hæret
Ante oculos, tanti semper imago mali.
Urit, seu medios properas docturus in agros,
Urit, seu latebras, & loca sola petis,
Ac veluti cervus, Libani nemus inter odorem,
Cui procul ac tutùm fixit arundo latus;
Pascua, seu camposq; fugâ transmittit apertos,
Saucius, è puro seu levat amne sitim,
Frustra quærit opem, lateri lethale cruento
Telum hæret: finis mors erit una mali.
Sic mortis sensu nunquam cariturus amaro
Vivis, & hæc luctus finiet una tuos.
Interea crux in votis, & pectore toto est.
Hanc, velut absentem, nocte, dieq; vocas.
Somnia te cruciant veras imitantia pœnas,
Nec tibi nox sævo est mitior ulla die.
Cur igitur tibi creduntur mala tanta ferenti
Tempora supplicij lenta venire tui?

Votum in amante novum eſt, quod adeſt expoſcis; & optas,
Quæ jam nunc pateris vulnera, poſſe pati.
Quid credam? votisne tuis tua vota repugnent?
Immemoremque tui te quoque reddat amor?
Quod petis, hoc tecum eſt: neque crux fatalis amantem
Deſerit, aut ſummum deſeret ante diem.

ELEGIA III.

Mentis, quàm corporis ſenſum Chriſto acriorem fuiſſe, & perpetuum.

AH! malè, nil ferro gravius rude vulgus & igni,
Carnificisque putat durius eſſe manu.
Maxima ſupplicij pars eſt, quam conſcia rerum
Mens, nondum tacto corpore, prima ſubit.
Dum ferrum & flammas, dū proſpicit omnia ſævæ
Inſtrumenta necis, ſævitiæque modos;
Dum nihil ignorat, triſtique in imagine tota eſt,
Iam patitur, quidquid pœna doloris habet.
Et mentis magis eſt, quàm ſenſus corporis acer
Hic dum percipitur, deficit; ille manet.
Quid doluit, ſubito teli qui ſaucius ictu
Concidit, & lethi neſcius antè fuit?
Quid doluit, quem ſecurum, ſomnoq; fruentem,
E molli rapuit mors inopina toro?
Gethſemani colles, tuque ô Calvaria rupes,
Et quæcunque Dei cæde madebis humus;
Pontificumq; aulæ, & Latiæ prætoria turmæ,
Tuque æther ſenſus ſigna daturæ tui;
Totaque, quæ meritò rerum Natura dolebis,
Ah! quota pars vobis nota doloris erit:

Nec

Nec mare tot fluctus, nec habet tot littus arenas,
Nec tot, vere novo gramina mollis humus:
Quot te, Christe, premunt ex omni parte dolores,
Solus, quæ pateris, tu numerare potes.
Omnia cernentem pars non latet ulla futuri,
Heu quantum pœnæ prævius horror habet?
Sic rapient, sic percutient, sic vincula stringent:
Sic hi, sic illi vulnera, totque dabunt.
Sic adigent, & tot, tamq; alte in tempora spinas:
Hæc Procerum, hæc turbæ verba furentis erunt.
Sic rigidi scindent clavi palmasque, pedesque,
Lancea sic pectus, per latus acta, petet.
Talibus atque aliis mens exercetur amantis,
Ut lapis assiduis quem mare pulsat aquis:
Excipit hibernas clementior aura procellas;
Nulla venit rebus mollior aura tuis.
Tempus, & ipsa dies cui non medicina dolor est?
Spes etiam curas, & dolor ipse levat.
At tibi nil pœnæ rapidi fuga temporis aufert,
Nec tibi spes ullam credula monstrat opem.
Nec tuus exhaurit sese dolor ille; nec unquam
Expletur lacrymis, egeriturve suis.
Inveniunt nostri centum solatia luctus:
Nulla tuis, nisi mors est medicina malis.
Mensque licet tristes, possit divertere curas,
Se tamen in pœnis detinet ipsa suis.
Ipsa sibi, quæ ferre potest, solatia demit:
Nec mœrore suo posse carere velit.
Non illam requies, non dulcis imago futuri,
Non nox adveniens, non reditura dies,
Non illam maternus amor, vultusque suorum,
Non patrium cœlum, non pater ipse levat.
Nate Deo, quanam possum te dicere causâ,
Tot mala, tam longo tempore, velle pati?

Scilicet, ut ferves, à quo fic, læderis hoftem,
Et læfus, partes conciliantis agas.
Et quisquam tanto victus non cedit amori ?
Immemor & luctûs fuftinet effe tui ?
Suftinet, & curas aliò convertit inanes.
Securus, quid amor, vulneráque ifta velint.
Vana juvant, fertur præceps, quò cæca libído,
Et furor, & levitas, ambitióque rapit.
Ah ! tibi nec mens eft hominis, nec quæ tibi vitã
Prima dedit, noftri fangvinis illa fuit.
Ferree, fic te nec fpinæ, nec vulnera tangunt
Illa, quibus cautes indoluiffe ferunt.
Ferree, fi lacrymam nec fangvinis elicit imber,
Nec, qui fe fufo fangvine prodit, amor.
Hoc eft, quod graviùs loris urebat amantem,
Hoc eft, quod clavis, quod cruce maius erat.
Metimur miferi flagris, fpinisque dolorem ;
At nec fpina dolor, flagraque, fummus erant.
Summus erat, gens dura, fuæ fibi caufa ruinæ,
Et tanti fructus nullus amoris amor.

ELEGIA IV.

Latronem in cruce fervatum omnibus fpei exemplum efſe.

MOrtales fperate ! Dei placabilis ira eft :
Vincitur, & nullos fubmovet illa reos.
Depofitis etiam præfto eft clementia caufis.
Omnibus, atque omni tempore tota patet,
Nec mihi quis fteriles caufetur perditus annos :
Nec mihi quis vitæ tempora fera fuæ ;
Nec fcelerum numerum. Tot fint, quot in æquore fluctus,
Quot filvis frondes, frigoribúsque nives ;

Pœ-

Pœniteat tantùm, causam dolor ipse perorat,
Nec lacrymis seris ulla repulsa venit.
Latro sit exemplo: trunco pendebat in alto,
Quósq; dabat gemitus, jam morientis erant,
Flebat, & ad Dominum vertebat pallidus ora.
Hoc satis, ut veniam consequeretur, erat.
Pró Superi! quantum gemitus valuère precantis,
Verbáque! Divorum gaudia munus habet.
Felix, infami quamvis in stipite pendes,
Tam brevis, & facilis cui dedit astra labor!
Quamquã convictus scelerũ es, quódq; ipse fateris,
Morte peris vitæ conveniente tuæ:
At voti jam pignus habes, quod fallere nescit,
Iam, reor, asperitas excidit ipsa crucis.
Frangite lictores, jam ferro frangite crura:
Hoc illi nullum munere majus erit.
Iam pœnasque novas, nova jã sibi vulnera poscit:
Soláque, quod cruciet, jam mora mortis habet.
O ego quàm cupiam sic fixus in arbore, mortem,
Hæc mihi si dentur præmia, ferre tuam!
At tu, quid dubitas veniam pacémque precari,
Qui scelerum pendes, suppliciique comes?
Tempus adest aptum precibus, dabit ille roganti,
Qui jam morte suâ, quod tibi donet, emit:
Me miserum! avertit vultus, dominùmq; scelestis
Insequitur verbis, & negat esse Deum. (quisquã
Heu cadit in quenquam tantus furor! heu sibi
Tot bona tam prono danda favore negat!
Nate Deo, per ego hunc, quo nos dignaris, amorẽ,
Per spes, quas de te sontibus esse jubes,
Per genus hoc mortis, per quæ tibi corpore toto
Vulnera sunt, animi pignora certa tui:
Hic mihi, quem spernit sibi tam dementer iniqvus,
Hic mihi contingat, te miserante, favor:

Sic, quos te pietas pro nobis ferre labores
Impulit, excrpiat publicus orbis amor:
Sic bona spes ad te facilem, veniæque paratum
Invitet trepidos, alliciatque reos.
Non tua, quæ cœlo miseras clementia donat,
Parcior est unquam, dissimilisque sui.
Nec spes destituit, cuivis, discrimine nullo,
Fontibus ex ijsdem, vulneribusque venit
Cur ego diffidam? tua sonti verba Latroni
Dixisti moriens, hæc mihi dicta puto.
Dixeris hæc uni, satis est. Ostendis in uno,
Spes de te quantas omnibus esse velis.

ELEGIA V.

In insultantes crucifixo Deo.

HEu Solyme scelerata, reísque nocentior ipsis,
Quos ad supplicium, quod meruêre, vocas!
Túne Deum medios inter pendere latrones
Quáque illi pereunt lege, perire jubes?
Ut scelerum socius, qui pœnæ est, esse putetur!
Sic geminas, insons ut videare, nefas?
Sangvine crudeles oculos gens impia pasce:
Deficit exhausto sangvine vita Deum.
At vos sacrilegi jam saltem parcite lingvis:
Quis superest odijs, sævitiæque locus?
In cruce suspendi voluistis: pendet in illâ,
Mille pati insontem vulnera: plura tulit.
Morte mori lentâ: lenta jam morte necatis
Contenti tantis jam precor este malis.
Tot quid abest pœnis? deerant sua vulnera menti
Scilicet, hæc lingvis pars laceranda fuit.
Impia gens erras, tormenta immania semper,
Pluraque, quàm potuit corpore, mente tulit.

Me miserum! perstant, visóque à sanguine vires,
Quo deliniri debuit, ira capit.
Confusæ insurgunt voces, sed percîpit omnes.
Verba, quibus petitur, singula, virus habent.
Non sensus, animique latent, introspicis illos.
Quid non hinc etiam, quo crucietur, habet?
Hinc amor, hinc odiũ certant. Vos si quid acerbis
Restat adhuc odijs, addite; vincet amor.
Tollite clamores, lingvísque instate protervis
Ut, quem jactavit, se probet esse Deum;
Ut sese eripiat letho, ferróque refixas
Expediat plantas, expediátque manus.
Non illum immanes retinent in stipite clavi,
Quod maneat, nostri fixus amore manet.
Séque, quod exigitis, non servat, servet ut omnes,
Omnes vult pretium sangvinis esse sui.
Hoc est, cùm minimò possit, vos perdere nutu,
Cur toleret lentus, dissimulétque nefas.
Hoc est, cur graviús læsum irritantia Patrem
Crimina, quàm pœnas sentiat ipse suas.
Nec, quia non plectit, non plectere posse putetis.
Iusta sibi longas imperat ira moras. (dex
Hâc quoq;, quæ fixa est, vellet modò, crimina vin-
Plecteret, hâc fulmen mitteret ille manu.
Mitteret, ah! fulmen? precibus, non fulmine certat
Pro vobis pendens in cruce vota facit.
Conciliátque Patrem, lachrymans, vestróque furori
Quam veniam vos non poscitis, ipse petit.
Qua licet, excusat facinus quoque, supplicat ultrò,
Invidiámque suæ detrahit ipse neci.
Parce Pater, dixit, nec quod gens cœca meretur,
Morte luat, partem criminis error habet.
Quid facies, hostem qui sic miseraris, amanti.
O majestatis non memor ipse tuæ?

Læderis,

Læderis, & læsus veniam peccantibus oras.
Materiam veniæ crimina nostra facis,
Ipse subis pœnas, pœnarum præmia nobis
Reddis; & ut reddas, res tibi parva mori est.

ELEGIA VI.
De Titulo Crucis.

HÆc quoq; ludibrijs deerant? illudere morti
Debuit appositis scripta tabella notis?
Cùm pelagus, cùm terra tibi, cùm serviat æther,
Regnáque sint meritis ista minora tuis;
Hoc, quod eras, probro verti, criménque putari,
Causaque supplicij debuit esse tui?
Scripserit hoc judex, tanquã tua crimina, nomen,
Et titulum mortis jusserit esse tuæ:
Ille tamen vero scripsit te nomine, Regem.
Majestas sed enim, pompáque Regis ubi est?
An crux infamis, solium tibi? purpura, sangvis?
An clavi, manibus debita sceptra tuis?
Carnifices, populúsque furens, geminique latrones
Sunt tibi, quæ stipet regia turba latus?
Vóxque salutantûm, diræ? convitia, plausus?
Omnia paupertas quæ tibi dempsit, opes?
Nudus, & irrisus, fixusque in stipite pendes:
Majestas regi convenit illa Deo?
Crede tamen Solyme: regũ Rex maximus ille est,
Quem tibi venturum sæcula prisca canunt.
Sit reus, invidiæ moriens sit victima vestræ,
Ille reus, judex vester, & orbis, erit.
Nate Deo, tibi nos, tibi quem debemus honorẽ
Solvimus, & solium volvímur ante tuum.
Quamvis in mediâ pallens jam morte teneris,
Quamvis nîl, pendens in cruce, regis habes:

Majestas non tota latet. Quòd terra, quòd æther,
Quòd mare dent luctûs tristia signa sui:
Quod procul adverso cœli festinet ab orbe,
Et retrô celeres Luna reflectat equos,
Quòd solis vultus, quod se, cœlumque, diemque
Occulat, imperij vis manifesta tui est.
Tu modò pallentes revocas ad corpora manes
E tumulisque cies ossa sepulta suis.
Tu modò perpetuis frænas Plutona catenis,
Et domitam mortem sub tua jura trahis.
Insuítet Solyme; plus te nos esse fatemur.
Quàm titulus scriptis præferat ille notis,
Nunc quoq; te, cùm sũma trahens suspíria sensim
Deficis, æternum credimus esse Deum.
Nũc quoq; cũ pendet sine sensu & sangvine corpus,
Nos mœsti lacrymas, nos tibi vota damus.
Tempus erit, tibi cùm ponent insignia reges,
Et figent aris munera digna tuis.
Et crucis ad truncum curvato poplite fusi
Submittent pedibus sceptraque, téque tuis,
Templa tibi surgent Patriis innixa columnis:
Fumabunt sacris dona Sabæa focis.
In templis tua cum titulo ponetur imago,
Qualem nunc pendens in cruce nudus habes,
Ad latus hinc stabit lacrymans & pallida mater:
Hinc comes, eximium quem tibi fecit amor.
Illa potens rerum, cujus victricibus armis
Nilus & Euphrates, toraque cessit humus:
Illa suos fasces, animósque, orbémque subactum
Imperijs subdet maxima Roma tuis.
Expelli lustrata Jovem capitolia cernent,
Et tibi, cui soli debita, thura ferent.
At populo tua crux, lacerumq; in imagine corpus
Quódque alto pectus vulnere rupit amor,

Et rigidi ſentes, & ſparſi ſangvine vultus
  Sæpe tibi grati cauſa doloris erunt,
Quanta dabunt viſis & quot ſuſpiria clavis?
  Hi quoque non paucis vulnera ſæpe dabunt.
Hoc ipſum in ſummo quod pendet ſtipite, nomen
  Iam cœlum ſupplex, tunc quoque terra colet.
Hoc metuet, fruſtáque fremens horreſcet Avernus
  Totáque Styx îmis exululata vadis.
Quantũ, & quale decus tibi tunc infamia præſens,
  Quantus, quæ modò fers probra, triũphus erunt!

ELEGIA VII.

Ad Virginem Matrem ſtantem ſub cruce.

QUid genitrix nato geminas ſine fine dolores?
  Crux in ſupplicium non erat una ſatis?
Altera crux nato eſt, matrem ſpectare dolentem:
  Nec minus hæc pœna, plus quoq; forſan habet.
Ipſa vides laceră guttas è fronte cruentas
  Pérque oculos illi currere, pérque genas,
Ipſa vides manibus pedibusque erumpere rivos
  Sangvinis: & nervis oſſa ſoluta ſuis.
Sic natum ſpectare vocas ſolatia, mater?
  Hoc juvat? hæc luctum ſcena levare poteſt?
Non potes, ut cupias ſolantia dicere verba:
  Verba locuturæ frangit in ore dolor.
Non ſtrophio ſiccare ſacros, non veſte cruores:
  Crux illum manibus ſubmovet alta tuis.
Non, ubi finierit mors illi ſæva labores,
  Lumina maternâ condere fracta manu.
Parce, precor ſaltèm nato, ſi parcere neſcis,
  Ipſa tibi: lacrymis uritur ille tuis.
Nec tibi ſolamen, præſens potes eſſe, nec illi
  Illius luctu læderis, ille tuo.

Nate Deo, qui fers, quæ te nisi ferre videret,
    Barbaries ferri posse, vel ipsa neget:
Te testor, sensumque tuum, te sæviùs urunt,
    Quàm tua, quæ de te vulnera mater habet.
Hoc quoq; non nescis mater, scis quodlibet illi
    Supplicium luctu lenius esse tuo.
Discedet tecum, si tu discedere possis,
    Illius ex aliquâ parte; tuusque dolor.
Narrabunt alii, quæ verba novissima: quales,
    Pro quibus arenti fuderit ore preces:
Quid biberit sitiens: quid deficiente rogârit
    Voce Patrem: quàm non immemor ille tui:
Ut fractis oculis, in duro stipite vitam
    Clauserit: ut fixum ruperit hasta latus.
Hæc alij referent: at tu pallebis & ipsa
    Pectore materno, quæ tulit ille, feres.
Quid facies præsens si, quæ perceperis absens,
    Singula sunt animo plaga futura tuo?
Me miserum! stat fixa loco, truncumq; madentē
    Sangvine, perfundit fletibus usque suis.
Nunc lacrymis madidos convertit ad æthera vul-
    Nunc tenet in nato lumina fixa suo. (tus,
Heu quid agat: maneat? prohibet dolor. inde re-
    Fortior immotã sub cruce sistit amor. (cedat.
Dure amor! has servas leges? sic jungis amantes?
    Quàm non sunt Regni mollia jura tui!

ELEGIA VIII.

De Christi morientis siti, & aceti potione.

OMnia nunc illi, qui possidet omnia, desunt.
    Poscentem gelidæ deficit haustus aquæ.
Exhausère labor vires, lucórque, cruórque
    Fusus, & in tantis nox vigilata malis,

Et

Et via per præceps, humerisque injecta cruentis
Illa trabis moles, sævitiésque necis.
Ferte citi lymphas : lymphæ solabitur haustus,
Arenti quam vix indicat ore, sitim.
Heu fera barbaries ! morienti lympha negatur.
Pocula, quæ spumant felle, bibenda ferunt.
Et tamen hæc libat : fauces simul urit & ora
Pejus amarities, quàm sitis ipsa, malum.
O ! iterum duris erumpite rupibus undæ,
Saxa dabunt vobis rupta dolore viam.
Qui rore, & pluviis sitientes irrigat herbas,
Arida qui vernis imbribus arva juvat.
Qui scatebris fontes, qui fontibus evocat amnes,
Vestrâ deficiens nunc eget auctor ope.
Esse quid hoc dicam ? de clavis nulla, vel ulla
De cruce ; de sævâ sola querela siti est.
Cætera, tamque diu tacitè tormenta ferenti ,
Crede mihi, solæ non sitiuntur aquæ.
Quæ petit in tantis sitiens solatia pœnis ,
A nobis, non à fontibus illa petit.
Hei mihi supremæ neque nos movêre querelæ :
Nos quoque cum multo pocula felle damus.
At, reor, è cœlo venient solatia : cœlum
Audiet, & vanas non sinet esse preces.
Ah! tantùm tenebris se conscius occulit æther ,
Et luget dominum, non juvat ille suum.
Te saltem , Genitor , Nati suspiria tangant
Ultima : te poscit vox morientis opem.
Aspicis ut verset supremo langvida motu
Lumina ? vix cervix sustinet ægra caput.
Et quamvis tenues fugiant cum sangvine vires,
Destituátque suus corpus inane vigor ;
Attollit tamen exsangues ad sidera vultus ,
Utque potest, oculis quærit, & ore Patrem.
Singul-

Singultùmque trahens imo de pectore: Méne
Destituis, clamat, tu quoque chare Pater!
Quæ toties movère, nihil jam summa Parentem
Verba movent, Natum deseruisse putes.
Magne Pater, neque tu Nati miserere ferentis
Ultima? nec pietas illa paterna subit?
Nec te perpetuis exacta doloribus ætas,
Nec mors ipsa movet, causáque mortis amor!
Hoc quoq;Christe feras opus est:tã mitis in omnes
In te sustineat durus ut esse Pater.

ELEGIA IX

Ad Beatam Virginem, filio jam in cruce mortuo.

OCcidit: in pectus cervix, inflexa recumbit.
Occidit: exanimũ de cruce pendet onus.
Quæ mẽs, quis tibi nunc, mater mœstissima sensus?
Mors pariter vitam non rapit ista tuam?
Ah! plus, quàm vitam rapuít, cùm sustulit illum,
Qui tibi spes omnis, vitáque, solus erat.
Ferreus ah! nimiúmque tibi crudeliter hostis,
Luctibus his causam qui tibi cunque dedit,
Quid loquor? ille ego sũ, sensi, nil quærimus ultrà,
Me peragis vultu, Diva silente reum.
Nil opus est verbis, oculi, lacrymæq; loqvuntur,
His lacrymis vocem sensimus esse suam.
Ah fateor, tuus ille meum, mœstissima crimen
Est dolor, hæc operis sunt monumenta mei.
Nostra nocens anima est, quæ fles, ego vulnera feci,
Hæc quoq; nostra manus sangvinolẽta nece est.
His mea te, natúmque malis dementia mersit,
Mens fugit admissi plena pudore sui.

Hic

Hic lacrymas fudisse parû est. Non omnis apertis
Exhaustus venis si mihi sangvis eat ;
Non, si me Scythicæ scindant in frusta secures ;
Membráque diversis diripiántur equis ;
Non, si Trinacrij damnatus voce tyranni
Torreat in tauro, sæve Perille tuo ;
In caput hoc non si totus desæviat æther.
Æqualis merito pœna sit ulla meo-
Quid faciam infelix? quò spes, quô carbasa vertã ?
Quod mihi perfugium, quis mihi portus erit ?
Ad tua, nate Deo. supplex me vulnera verto.
Sola meum possunt illa piare nefas.
Illa, precor, veniæ mihi spes : & gratia fiant :
Aut hac, aut nullâ parte juvandus ero.
Sævitiæ monumenta meæ mihi gratia fiant :
Et prosint, manibus vulnera facta meis :
Sic est, cujus ego sum funestissimus auctor,
Hac mors placandi spes mihi sola tui est.
Dicam equidẽ, quam vis res dictu est horrida, dicã;
Impietas nobis utilis ipsa fuit.
Penè fide majus ; prodest sua culpa nocenti.
Est nostri fructus criminis ipsa Salus.
Quas merui, Deus ipse suo dat sangvine pœnas :
Quem læsi, pro me sustinet esse reus
Quam plectar meritó, flammísque perennibus urar,
Si mea non tangat pectora tantus amor.

ELEGIA X.

Ad Dei Matrem, exanimi filij corpus gremio sustinentem

TEne ego (nec movear ?) videam mœstissima matrum,
Complexam nati membra cruenta tui ?

Eque

E quæ tuis oculis ſuper illius ora cadentes
Aſpiciam lacrymas, contineámque meas !
Ecce ſuo tecum rerum natura parenti
Ingemit, & quo tu, funere læſa dolet.
Sol, tam funeſtæ ne ſpectet crimina cædis,
Avertit vultus, oráque mœſta tegit.
Sub pedibus mugit tellus, convulſa dehiſcunt
Marmora, lugubris fertur ad aſtra fragor.
Lugentes errant manes, tumulíſque ſub ipſis
Et gelidos cineres tangit, & oſſa dolor.
Non hoc ſpectator potuit de funere quiſquam
Lumina, non lictor ſicca referre domum.
Quâ ſcuticas ſtrinxit, quâ vim, quâ vulnera ſævus
Intuiit, hac tundit pectora nuda manu,
Pars etiam turbæ, quo tot convitia fecit,
Hoc gemit, hoc rabiem devovet ore ſuam,
Omnia cum doleant, uni mihi pectora conſtent
Rupibus, & ſciſſis aſperiora jugis ?
Unus ego immotus funus tam flebile poſſim,
Et tua non madidis ora videre genis ?
Non rigor hic meus eſt, tu me, tua flentis imago
Sauciat : utque facit, ſauciet uſque, precor.
Vulnera ſeu ſpectas, totidemque in pectore ſentis;
Effice ſint animo tot quoque fixa meo
Oſcula jungenti ſeu frontem ſpina cruentat,
Me tuus hic urat, conficiatque dolor.
Seu tibi, quæ nato, fixit præcordia cuſpis ;
Per medium nobis hæc quoque pectus eat.
Carnificum ſeu terret adhuc te vultus ; in illis
Horreſcam facinus, devoveámque meum.
Seu quocumque alio veniunt è fonte labores ;
Et meus erumpat protinus inde dolor.
Qui ſum cauſa tui, ſim pars quoq;, Diva, doloris,
Et minuam luctus hac ego parte tuos.

Me

Me meminiſſe decet, cùm ſub cruce pallida ſtares,
Quæ fuerint Nati verba ſuprema tui.
Ille mihi moriens: ſerva communis amorem
Matris, ait: tibi jam, quæ mihi, mater erit.
Hinc crevit, creſcatq; precor qui tempore ab illo
Me tenet, & totum ſe tibi debet amor.
Omnia quæ pateris, mihi ſunt communia tecũ,
Ni fuerint, nati nomen inane gero.
Quid? me non lædãt, quæ lædunt vulnera matrẽ:
Hoc quoque barbaries oderit ipſa nefas.
Nec ſatis eſt, ſi noſtra tuis ſuſpiria jungam,
Te, mea, te cupiam, vita dolente mori.
O illo mihi contingat tabeſcere luctu!
Felix, ſi lethi cauſa ſit iſta mei.

ELEGIA XI.

Memoriam Vulnerum Chriſti retinendã.

SI quis es, in triſti qui fixus imagine ſpectas,
Quæ tulerit pro te vulnera quotq; Deus:
In lacero nunquam tot vulnera corpore cernes,
Quot tulit, ars numerum pingere nulla poteſt.
At ſunt, quæ rapiant animos, penitúſq; morentur
Lumina, quæque ſuo ſũnt ſpecioſa loco.
Aſpice, quàm lato patefactum pectus hiatu,
Quantaque ſunt manuũ vulnera, quanta pedũ.
Illa cicatricem non ſunt ductura, patebunt,
Donec, qui moriens illa recepit, erit.
Illa ſui retinet victor monumenta triumphi,
Et libertatis dulcia ſigna tuæ.
Non hæc tam clavi, nec acuto lancea ferro,
Nec populi fecit, carnificúmque furor:
Quam, qui cauſa fuit tantorum prima dolorum,
Tótque Deum plagas ferre coëgit, Amor.

Redde vicem meritis. Quæris quo munere possis?
Aut quid, qui gratum te cupit esse, velit?
Non petit, ut clavis scindi planta'q; manúsque,
Tempora nec spinis ut patiare fodi.
Non, ut flagra tuos lacerent immaniter artus.
Pérque tuum stridens transeat hasta latus.
Plagarum tantùm te vult meminisse suarum.
Quis minor est autem, quàm meminisse labor?
Hoc satis est illi, si tu, quæ vulnera pro te
Saucius ille tulit corpore, mente geras.

ELEGIA XII.

Etiam nos Christi doloribus causam dedisse.

EST mihi sangvineæ crucis, & pendentis in illa
Numinis artifici picta tabella manu.
Hæc mihi sæpe animi sopitos suscitat ignes:
Nonnunquam lacrymas provocat illa meas,
Nuper in hanc oculis, & toto pectore fixus
Spectabam populi triste furentis opus.
Spectabam laceros clavis immanibus artus,
Quódque unum in toto corpore vulnus erat.
Heu dirum facinus! dixi: Tene, optime rerum,
Perdere cognatæ sic potuere manus?
At tibi pro scelere hoc, gens impia, quale mereris,
Exitium justi vindicis ira ferat.
Dira fames dentes in mutua corpora vertat;
Quæque ex se genuit viscera, mater edat.
Ferro excisa cadas: undent tua sangvine templa:
Det cladi lacrymas hostis & ipse tuæ.
Inque tuas pergat victor sævire ruinas,
Donec, quæ saxis saxa revellat, erunt.

Longa mora eſt, jā nunc tellus, precor ima dehiſce:
  Non ſatis ad tantum, eſt intremuiſſe, nefas.
Hæc ego cum gemitu indignans; & plura parabā,
  Iuſtaque, dicebam, quò vocat ira, ſequar.
Cùm ſubitò, qualē volucres, dum nubila findunt,
  Viſa fuit nobis aura dediſſe ſonum.
Stabat Amor, ſed non ſolitis circumdatus armis,
  Nec pueri cultus, qui ſolet eſſe, fuit.
Non humeris pendent pharetræ, nō aureus arcus,
  Non manus inſtructas ventilat igne faces.
Altera tela haſtam, duros tela altera clavos,
  Hamatóſque vepres, flagraque ſæva tenet,
Nec rigidi funes, nec crux, nec ahenea deſunt
  Vincula: purpureus tinxerat illa cruor.
Ut vidi, ut ſtupui! vultúſque, oculôſque minaces,
  Armáque miratus, talia verba dedi:
Quid tibi, blande puer, cum tā crudelibus armis!
  Quid tenerâ tractas non tua tela manu?
Non tua quæ ſpargis, quamvis immitibus urunt
  Ignibus, invidiam ſpicula cædis habent.
Iſta Scythas, Beſſóſque truces, ſævóſque Gelonos,
  Barbariémque avidam ſangvinis arma decent.
Queſtus eram; vultu cùm protinus ille ſevero,
  Quos tua, quos inquit, devovet ira reos?
Quid Solymam accuſas, dictiſque inceſſis amaris,
  Non priùs auditum quæ fuit auſa nefas?
Funeris illius, quod ſol, quod terra, quod æther
  Horruit, auctor ego, primaque cauſa fui
Nec piget eſſe reum, facto quoque glorior illo:
  Hinc decus hinc rebus gloria ſumma meis.
Me ſinè quid poterant odium, rabieſq; nocentûm?
  Me ſinè quæ poterant lædere tela Deum?
Illi ego mortales artus, pœnæque capaces,
  Membraque, quæ poſſent verbera ferre, dedi.

Illi ego fluxuro replevi ſangvine venas :
A me, quo culpam diluat orbis, habet.
Ex illo mihi crux, clavique, vepréſque cruenti,
Sævaque pro telis haſta fuère meis.
At tibi mens illis non eſt ſuperabilis armis :
Tu, quod Amor neſcit vincere, pectus habes.
Et rupi tumulos, & manes flere coégi,
Saxaque ſunt flammis mollia facta meis.
In te deficiunt vires : & cautibus ipſis,
Et cineri major, quàm ſibi ſenſus ineſt.
Hæret, & in medio ſiſtit victoria curſu,
Te mihi difficiles injiciente moras.
Quid modò damnabas populum ? tu durior illo.
Non bene peccantes arguit ipſe nocens.
Tu quoque, tu tanti pars es non parva furoris,
Tam flendæ titulum tu quoque mortis habes.
Membra cruentabant illi ; ſed amantis in imum,
Quæ tu cumque facis vulnera, pectus eunt.
Illorum ſceleri multum quoq; detrahit error :
Militibus notum non ita numen erat.
Tu nil, dum peccas, potes ignorare, nec ullo
Nomine ſævitiam diſſimulare tuam.
Plus tua culpa meis, ſi neſcis, ſævjit armis ?
Quódq; ita ſævierint, hæc quoq; culpa tua eſt.
I nunc, carnifices diris inceſſe querelis,
Immemor ipſe tuâ de feritate queri.
Dixit, & irato ſimilis diſceſſit in auras.
At mihi cum lacrymis venit in ora rubor.

S. BER-

S. BERNARDI PARÆNESIS,

Nomine Christi patientis.

O! Homo, vide quid pro te patior,
Non est dolor, sicut quo crucior!
Ad te clamo, qui pro te morior;
Vide pœnas, quibus afficior;
Vide clavos, quibus confodior:
Et cùm dolor sit tantus exterior,
Tamen intus est planctus gravior,
Cùm te tam ingratum experior.

CAPI-

CAPITA
IN CHRISTI DOLORIBUS EXPENDENDA.

Q*Vis patitur* ? Rerum Dominus, de Numine Numen.
Quid patitur ? Lacero corpore mille neces,
Pro quibus ? Ingrata pro turba, & genere rebelli.
Cur ? Nos carnifices servet ut ipse suos.
Quis locus ? Infamis pœnis, & morte nocentûm.
Quando ? Cùm poterant facta probare Deũ.
A quibus ? A notis, & avito sangvine junctis.
Quomodo? Non servans ullum in amore modũ,

Pij erga Christum patientẽ affectus.

I. ADMIRATIONIS.

Quis satis hoc capiat? pro me, per vulnera mille,
Et potuisse Deum, nec dubitâsse mori ?

II. COMMISERATIONIS.

Si specto siccis oculis tua vulnera, Christe,
Sum cruce, sum clavis durior ipse tuis.

III. DO-

III. DOLORIS.

Pœnitet! & meritò, Lacrymis non illa pietur,
Quæ tibi, magne Deus, ſangvine culpa ſtetit?

IV. GRATI ANIMI.

Ut fuſo tibi, Chriſte, feram pro ſangvine grates;
Nulla ſatis longum ſæcula tempus erunt,

V. SPEI.

Spes fugit, ante oculos mea dū mihi crimina pono?
Cùm tua reſpicio vulnera, Chriſte, redit.

VI. AMORIS.

Me pete, Amor, telis in Chriſti ſangvine tinctis,
Quem læſi toties, ſic ego læſus amem.

VII. IMITATIONIS.

Chriſte, mihi Dux es. Quæ belli præmia ſperem:
Si quâ Dux ieris, non ego miles eam?

Ad Majorem

DEI CRVCIFIXI GLORIAM.

Joseph Malineski.